

COLECCIÓN  
DE  
TROZOS ESCOGIDOS

Tomados de las distintas épocas de la literatura latina  
y gradualmente dispuestos

por

Felipe González Calzada

Catedrático numerario

en el Instituto General y Técnico de León



BIBLIOTECA  
DEL  
INSTITUTO PROVINCIAL

SORIA

— LEÓN —

Alvarez Chamorro y Compañía.—Cervantes, 3

1922

56-19

7-24

11  
2/10

B. 575

COLECCIÓN  
DE  
TROZOS ESCOGIDOS

Tomados de las distintas épocas de la literatura latina  
y gradualmente dispuestos

por

Felipe González Calzada

Catedrático numerario  
en el Instituto General y Técnico de León



BIBLIOTECA  
DEL  
INSTITUTO PROVINCIAL

D-2  
3222

B.P. de Soria

Compañía.—Cervantes, 5

B.P. de Soria



61110389  
D-2 3222



11  
511

---

---

Es propiedad del autor.  
Queda hecho el depósito correspon-  
diente y todos los ejemplares llevarán  
una contraseña especial.

---

---



# Compendio de Historia Sagrada

POR

L H O M O N D

---

1.

## CREACIÓN DEL MUNDO

Deus creavit cœlum et terram intrâ sex dies.

Primo die fecit lucem. Secundo die fecit firmamentum, quod vocavit cœlum.

Tértio die coëgit águas in unum locum, et eduxit e terra plantas et árboles.

Quarto die fecit solem, et lunam, et stellas.

Quinto die, aves quæ vólitant in áëre, et pisces qui nant in aquis.

Sexto die fecit ómnia animántia, postremó hómitem, et quievit die séptimo.

Deus finxit corpus hómitem e limo terræ, dedit illi ánimam viventem: fecit illum ad similitúdinem suam, et nominavit illum Adamum.

Deindé immisit soporem in Adamum, et detraxit unam e costis ejus dormientis.

Ex ea formavit mulierem quam dedit sóciam Adamo, sicque instituit matrimónium.

Nomem primæ mulieris fuit Eva.



ADÁN Y EVA EN EL PARAISO TERRENAL

Deus p̄suit Adamum et Evam in horto amœnissimo, qui solet appellari Paradisus terrestris.

Ingens flúvius irrigabat h̄ortum: erant ibi omnes árbores jucundæ aspectu, et frutus gustu suaves. Inter eas erat arbor sciéntiæ boni et mali.

Deus dixit h̄omini: Útere frúctibus ómnium árborum Paradisi, præter frutum árboris sciéntiæ boni et mali; nam si cómedas illum fructum, moriéris.

Serpens, qui erat callidíssimum ómnium animátium, dixit muliéri: Cur non cómedis fructum istíus árboris?

Múlier respondit: Deus id prohibuit. Si tetigérimus illum, moriemur.

Mínimé, inquit serpens, non moriémini; sed éritis similes Deo, scientes bonum et malum.

Múlier, decepta his verbis, decerpsit fructum, et comédit: deinde obtulit víro, qui páriter comédit.

Adamus, fúgiens conspectum Dei, se abscondit. Deus vocavit illum: Adame! Adame!

Qui respondit: Tímui conspectum tuum et abscondi me.

Cur times, inquit Deus, nisi quia comedisti fructum vétitum?

Adamus respondit: Múlier, quam dedistí mihi sóciam, porrexit mihi fructum istum, ut éderem.

Dóminus dixit mulferi: Cur fecisti hoc? Quæ respondit: Serpens me decepit.

Dóminus dixit serpenti: Quia decepisti mulierem, eris odiosus et execratus inter ómnia animántia; reptabis super pectus, et cómedes terram.

Inimicitíæ erunt inter te et mulierem; ipsa olim cónteret caput tuum.

Dixit étiam mulferi: Affíciam te multis malis; páries líberos in dolore, et eris in potestate viri.

Deindé Deus dixit Adamo: Quia gessisti morem uxori tuæ, habebis terram infestam; ea fundet tibi spinas et cárduos.

Quæres ex ea victum cum multo labore, donec ábeas in terram e qua ortus es.

Túm ejecit Adamum et Evam ex horto, ut ille cóleret terram, et collocavit ángelum, qui præferebat manu gládium ígneum, ut custodiret áditum Paradisi.

3

CAÍN Y ABEL

Adamus hábuit multos líberos, inter quos Caínus et Abel numerantur: hic fuit pastor, ille agrícola.

Uterque óbtulit dona Dómino: Caínus quidem fructus terræ, Abel áutem oves egrégias.

Dona Abelis placuerunt Deo, non áutem dona Caíni, quod Caínus ægré tulit

Dóminus dixit Caíno: Cur ívides fratri? Si recté fácies, recípies mercedem; sin autem malé, lues pœnam peccati

Caínus non páruit Deo monenti: dissimulans iram, dixit fratri suo: Age, eamus deambulatum.

Ítaque unà ambo abierunt foràs, et cùm essent in agro, Caínus írruit in Abelem, et interfecit illum.

Deus dixit Caíno: Ubi est tuus frater? Caínus respondit: Nésocio, nùm ego sum custos fratris mei?

Deus dixit Caíno: Caíne, quid fecisti? Sanguis fratris tui quem ipse fudisti manu tua, clamat ad me.

Infesta tibi erit terra, quæ bibit sánguinem Abelis: cùm colúeris eam longo et duro labore nullos feret fructus: eris vagus in orbe terrarum.

Caínus, desperans véniam, fugit.



### EL<sup>IS</sup>DILUVIO UNIVERSAL

Póstquàm númerus hóminum crevit, ómnia vítia inválúere. Quarè offensus Deus státuit pérdere hóminum genus dilúvio.

Attamen pepercit Noëmo et liberis ejus, quia colebant virtutem.

Noëmus admónitus a Deo exstruxit ingentem arcam in modum navis: linivit eam bilúmine, et in eam induxit par unum úmnum ávium et animántium.

Póstquàm Noëmus ipse ingressus est arcam cum cónjuge, tribus filiis et tótidem núribus, aquæ maris et ómnum fóntium erupérunt.

Simul plúvia ingens cécidit per quadraginta dies et tótidem noctes.

Aqua opéruit universam terram, ita ut superaret quíndecim cúbitis altíssimos montes.

Omnia absumpta sunt dilúvio: arca áutem sublevata aquis fluitabat in alto.

Deus immisit vetum vehementem, et sensim áquæ imminutæ sunt.

Tandem mense undécimo, póstquàm dilúvium cœperat Noëmus apéruit fenéstram arcæ, et emisit corvum, qui non est reversus.

Deindè emisit columbran: cùm ea non invenisset locum ubi póneret pedem, reversa est ad Noëmum, qui extendit manum, et íntulit eam in arcam.

Columba rursùm emíssa áttulit in ore suo ramum olivæ virentis, quo finis dilúvii significabatur.

Noëmus egressus est ex arca póstquóm ibi inclusus fúerat per annum totum ipse et familia ejus: eduxit secum aves cætéraque animántia.

Tum erexit altare. eí óbtulit sacrificium Dómino. Deus dixit illi: Non delebo deinceps genus hóminum; ponam ar-



cum meum in núbibus, et erit signum fœderis quod fácio vobiscum.

Cùm obdúxero nubes cœlo, arcus meus apparebit, et recordabor fœderis mei, nec únquam dilúvium erit ad perendum orbem terrarum.

5

DISPERSIÓN DE LOS HIJOS DE NOÉ Y NUEVA CORRUPCIÓN  
DEL GÉNERO HUMANO

Omnes gentes propagatæ sunt a filiis Nòemi. Semus incoluit Asiam, Chamus, Africam, Japhetus Europam

Pœna dilúvii non detérruit hómines a vítiis, sed brev; facti sunt pejores quàm priùs.

Obliti sunt Dei creatoris: adorabant solem et lunam non verebantur parentes; dicebant mendácium; faciebant fraudem, furtum, homicídium; uno verbo se contaminabant ómnibus flagítiis.

6

ABRAHÁN E ISAAC

Quidam tamen sancti viri coluerunt veram religionem et virtutem, inter quos fuit Abrahámus e génere Semi.

Deus fecit fœdus cum illo his verbis: Exi e domo paterna, désere pátriam, et pete regionem quam daturus sum pósteris tuis, augebo te prole numerosa; eris pater multarum géntium, ac per te omnes nationes orbis erunt bonis cumulatae Aspice cœlum; dinúmera stellas, si potes: tua progénies eas æquabit número.

Abrahámus jam senúerat, et Sara ejus uxor erat stérilis.

Quibus tamen Deus promisit filium ex eis nasciturum. Habebis, inquit, filium ex Sara, cónjuge tua.

Quod áudiens Sara risit, nec statim adhíbuit fidem promissis Dei, et idcirco reprehensa est a Deo.

Abrahamus áutem crédidit Deo pollicenti.

Et veró uno póst anno filius natus est Abrahamo.

Póstquàm Isaacus adolevit, Deus, tentans fidem Abrahami, dixit illi: Abrahamee, tolle filium tuum únicum quem amas, et ínmola eum mihi in monte quem ostendam tibi.

Abrahamus non dubitavit parere Deo jubenti: impósuit ligna Isaaco, ipse verò portabat ignem et gládium

Cùm iter fácerent simul, Isaacus dixit patri: Mi pater, ecce ligna et ignis; sed úbinam est hóstia immolanda? Cui Abrahamus: Deus, inquit, sibi providebit hóstiam, fili mi

Ubi pervenerunt ambo in locum designatum, Abrahamus exstruxit aram, dispósuit ligna, alligavit Isaacum super strúem lignorum; deinde arrípuít gládium.

Tùm ángelus clamavit de cælo: Abrahamee, cóntine manum tuam, ne nóceas púero; jam fides tua mihi perspecta est, cùm non pepérceis filio tuo único; et ego favebo tibi; remunerabo spléndidè fidem tuam.

Abrahamus respexit, et vidit arietem hærentem córnibus inter vepres, quem immolavit locò filii.

7

CASAMIENTO DE ISAAC

Pósteà Abrahamus misit servum suum Eliézerem ad cognatos suos qui erant in Mesopotámia, ut indè addúceret uxorem filio suo Isaaco.

Eliezer sumpsit decem camelós dómni sui, et profectus est portans secum múnera magnífica, quibus donaret puellam destinatam Isaaco et ejus parentes.

Ubi pervenit in Mesopotámiam, cónstitit cum camelis propè púteum aquæ ad vésperum, quo témpore mulieres solebant convenire ad hauriendam áquam.

Eliezer oravit Deum his verbis: Dómine, Deus Abrahami, fac ut puella quæ dabit potum mihi petenti, ea sit quam Isaaco déstinas

Ecce statim Rebecca, virgo exímia pulchritudine, pródiit, gerens urnam húmeris; quæ descendit ad púteum, et implevit urnam.

Tunc Eliezer progressus óbviàm puellæ: Da inquit potum mihi Cui Rebecca: Bibe. ait, dómine mi; et simul demisit urnam.

Cùm ille bibisset Rebecca óbtulit étiam áquam camelis Hoc indício cognovit Eliezer quod scire cupiebat.

Eliezer prótulit ináures áureas et armillas quas dedit Rebeccæ: tùm interrogavit illam cujus esset filia, nùm in domo patris esset locus ad commorandum.

Cui Rebecca respondit: Ego sum filia Bathuélis: avus meus est frater Abrahami: Est domi locus ad commorandum amplíissimus; est étiam plúrimùm fœni et plearum ad usum camelorum

Quod áudíens Eliezer egit grátias Deo, qui tribuisset iter próspere sibi.

Rebecca properavit domum, et narravit matri suæ ea quæ sibi contígerant.

Labanus, frater Rebeccæ, cùm audivisset sororem narrantem, adivit hómíne, qui stabat ad fontem cum camelis, et compellans eum: Ingrédere, inquit, dómine mi: cur stas foris? Paravi hospítium tibi et locum camelis.

Deindè deduxit eum domum, eique cibum appósuit

Contínud Eliezer expósuit paréntibus Rebeccæ causam itineris suscepti, rogavitque ut annúerent postulationi suæ

Qui responderunt: Ità voluntas Dei fert, nec póssumus Deo obsístire. En Rebecca; proficiscatnr tecum, nuptura Isaaco

Tum Eliezer deprompsit vasa áurea et argentea, vestesque pretiosas, quas dedit Rebeccæ; óbtulit étiam múnera matri ejus et fratri, et inierunt convívium.

Postrídiè Eliezer, surgens manè, dixit paréntibus Rebeccæ: Herus meus me exspectat: dimíttite me, ut rédeam ad illum.

Qui responderunt: Vocemus puellam, et percontemur ejus senténtiam

Cùm Rebecca venisset, sciscitati sunt an vellet discéde-  
re cum hómíne. Volo, inquit illa.

Dimiserunt ergò Rebeccam et nutricem illius, precantes ei ómnia próspera.

Isaacus fortè tunc deambulabat rure; vidit camelos venientes. Simul Rebecca, conspicata virum deambulantem, desiluit e camelo, e interrogavit Eliézerem: Quis est ille vir?

Eliezer respondit: Ipse est herus meus. Illa statim operuit se pállio.

Eliezer narravit Isaaco ómnia quæ fécerat.

Isaacus introduxit Rebeccam in tabernáculum matris suæ, et lenitus est dolor quem Isaacus capiebat ex morte matris

8

ESAÚ Y JACOB

Rebecca édidit uno partu duos filios Esaüm et Jacobum. Qui prior éditus est pilosus erat, alter verò lenis: ille fuit venator strénuus, hic áutem plácidus et simplex móribus.

Quadam die cùm Jacobus sibi paravisset pulmentum ex léntibus, venit Esaüs fessus de via, et dixit fratri: Da mihi hoc pulmentum; nam rédeo rure exanimatus lassitúdine.

Cui Jacobus: Dabo, si concédas mihi jus primogéniti.

Fáciam libenter, inquit Esaüs. Jura ergò ait Jacobus. Esaüs juravit, et vendidit jus suum.

Isaacus, qui delectabatur venatione, amabat Esaüm; Jacobus verò erat cárior Rebeccæ.

Cùm Isaacus jam senuisset, et factus esset cæcus, vocavit Esaüm: Súmito, inquit, pharetram, arcum et sagittas; affer mihi et para de venatione pulmentum, ut cómedam et appreper tibi fausta ómnia ántequàm moriar.

Esaüs itaque profectus est venatum.

Rebecca audierat Isaacum loquentem; vocavit Jacobum, et: Afferto, inquit, mihi duos hædos opímos: conficiam pulmentum, quo pater tuus valdè delectatur, appones ei cibum, et benè precábitur tibi.

Jacobus respondit: Ego non ausim id fácere, mater: Esaüs est pilosus, ego sum lenis: si pater me attrectáverit, succensebit mihi; ità indignátio patris et damnum mihi événient pro ejus benevoléntia.

Rebecca ínstitit: Ne timeas, inquit, fili mi Si quid adversi indè sequatur, id totum sumo mihi; tu verò ne dúbités fácere quod jussus es.

Itaque Jacobus ábiit, et áttulit matri duos hædos; illa paravit seni cibum quem nóverat suavem esse palato ejus.

Deindè índuit Jacobum véstibus fratris: aptavit pellem hædi mánibus ejus et collo.

Tùm: Adi, inquit, patrem tuum, et offer illi escam quam áppetit.

Jacobus áttulit patri suo escam paratam a matre

Cui Isaacus dixit: Quisnam est tu? Jacobus respondit: Ego sum primogénitus tuus; feci quod jussisti, pater; surge et cómede de venatione mea.

Quómodò, ait Isaacus, potuisti inveniere tam cito? Inveni, pater: Deus ità vóluit.

Isaacus rursùm: Tune es Esaüs primogénitus meus? accede própiùs ut attrectem te.

Ille accessit ad patrem, qui dixit: Vox quidem est Jacobi; sed manus sunt Esaï.

Isaacus, amplexatus Jacobum, antepósuit eum fratri, et tríbuit illi ómnia bona primogéniti.

Non multò pòst Esaüs rédiit a venatione, et ipsu óbtulit patri pulmentum quod paráverat.

Cui Isaacus mirans dixit: Quis est ergò ille qui modó áttulit mihi cibum, et cui apprecatus sum ómnia fausta tánquàm primogénito?

Quod áudiens Esaüs édidit magnum clamorem, et implevit domum lamentis.

PARTIDA DE JACOB PARA LA MESOPOTAMIA

Esauis, ardens ira, minabatur mortem Jacobo. Quare Rebecca mater, timens dilecto filio suo: Fuge, inquit, fili mi; abi ad Labanum, avunculum tuum, et commorare apud eum, donec ira fratris tui defervescat.

Jacobus dimissus a patre, et matre, profectus est in Mesopotamiam.

Iter faciens pervenit ad quemdam locum, ubi fessus de via pernoctavit: suppósuit lapidem cápiti suo, et obdormivit.

Jacobus vidit in sómnis scalam, quæ innixa terræ pertinebat ad cælum, atque ángelos Dei ascendentes et descendentes: audivit Dóminum dicentem sibi: Ego sum Deus patris tui, dabo tibi et pósteris tuis terram cui incubas. Noli timere, ego favebo tibi; ero custos tuus, quòcumque perrexeris, et reducam te in pátriam, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis dumulateæ.

Jacobus expergefactus adoravit Dóminum.

Jacobus, iter persecutus, pervenit in Mesopotamiam: vidit tres pécorum greges prope púteum cubantes.

Nam ex eo púteo greges solebant adaquari. Os pútei claudebatur ingenti lápide.

Jacobus accessit illòc, et dixit pastóribus: Fratres, undè estis? Qui responderunt: Ex urbe Haran.

Quos interrogavit iterùm: Nòstisne Labanum? Dixerunt: Nòvimus — Valetne?—Valet, ínquiunt: ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

Dùm Jacobus loqueretur cum pastóribus, Rachel filia Labani venit cum pécore paterno, nam ipsa pascebat gregem.

Confestim Jacobus, videns cognatam suam, amovit lapidem ab ore pútei. Ego sum, inquit, filius Rebeccæ, et osculatus est eam.

Rachel festinans id nuntiavit patri suo, qui agnovit filium sororis suæ, deditque ei Rachelem in matrimónium.

Jacobus diù commoratus est apud Labanum: intèrea mirè auxit rem suam, et factus est dives.

Lóngo pòst témpore, admónitus a Deo, rédiit in patriam suam.

Extimescebat iram fratris sui: ut placaret ánimum ejus, præmisit ad eum núntios, qui offerrent ei múnera.

Esaüs mitigatus occurrit óbviàm Jacobo advenienti: insiliit in collum ejus, flensque osculatus est eum, nec quidquam illi nócuit.

10

HIJOS DE JACOB.—PREDILECCIÓN QUE ÉSTE SIENTE POR JOSÉ.—ENVIDIA DE LOS DEMÁS

Jacobus hábuit duódecim filios, inter quos eran Josephus; hunc pater amabat præ céteris, quia senex genúerat eum. Déderat illi togam textam e filis várri coloris.

Quam ob causam Josephus erat invisus suis frátribus, præsertim póstquàm narravisset eis duplex sómnum, quo futura ejus magnitudo portendebatur.

Oderant illum tantóperè, ut non possent cum eo amicè loqui

Hæc porrò erant Josephi sómnia: Ligabamus, inquit, simul manípulos in agro: ecce manípulus meus surgebat et stabat rectus; vestri autem manípuli circumstantes venerabantur meum.

Pósteà vidi in somnis solem, lunam et úndecim stellas adorantes me.

Cui fratres responderunt: Quorsùm spectant ista sómnia? Nùm tu eris rex noster? Nùm subjiciemur ditioni tuæ? Fratres ígitur invadebant ei; at pater rem táctus considerabat.

Quadam die cùm fratres Josephi páscerent greges procul, ipse remánserat domi. Jacobus misit eum ad fratres, ut sciret quómodò se haberent.

Qui videntes Josephum venientem, consilium cœperunt illius occidendi. Ecce, inquiebat, somniator venit: occidamus illum, et projiciamus in púteum: dicemus patri: Fera devoravit Josephum Tunc apparebit quid sua illi prosint sómnia.

Ruben, qui erat natu máximus, deterrebat fratres a tanto scélere.

Nolite, inquiebat, interficere púerum. est enim frater noster; demíttite eum pótiùs in hanc fóveam.

Habebat in ánimo liberare Josephum ex eorum mánibus, et illum extráhere e fóvea, atque ad patrem redúcere.

Reipsa his verbis deducti sunt ad mítius consilium.

---



# Proverbios de Salomón

---

## I

FRUTOS DE LA SABIDURÍA.—BENDICIÓN DE LOS JUSTOS Y  
RUINA DE LOS IMPÍOS

Timor Dómini est princípium sapiéntiæ.

Stulti despiciunt sapiéntiam atque doctrinam.

Fili mi, ne óbliviscaris legis meæ, et cor tuum custódiat  
præcepta mea.

Enim illa apponent tibi longitúdinem dierum, et annos  
vitæ, et pacem.

Misericórdia et véritas non déserant te, circunda eas  
gútturi tuo, et describe eas in tábulis cordis tui.

Et invénies grátiam et disciplinam bonam corám Deo  
et homínibus.

Habé fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, et ne inni-  
taris prudéntiæ tuæ.

Cógita illum in ómnibus viis tuis, et ipse diriget gres-  
sus tuos.

Ne sis sápiens apud te ipsum, time Deum, et recede  
a malo.

Honora Dóminum de tua substántia; et da ei de primí-  
tiis ómnium frugum tuarum.

Et hórrea tua implebuntur saturitate, et torculária tua  
redundabunt vino.

Fili mi, ne abjcias disciplinam Dómini; nec deficias cùm  
corríperis ab eo.

Enim Dóminus córripit eum quem díligit, et cómplacet  
sibi quasi pater in filio.

Homo, qui invénit sapiéntiam, et qui áffuit prudéntia,  
est beatus

Acquisitio sapiéntiæ est mélior negotiatione argenti, et fructus ejus est mélior negotiatione áuri primi et puríssimi.

Sapiéntia est pretiósior cunctis ópibus, et ómnia, quæ desiderantur, non valent comparari huic.

Longitudo dierum est in délixtera ejus, et divítiæ et gló-  
ria sunt in sinistra illfus.

Via ejus sunt via pulchræ, et omnes sémitæ illfus sunt pacíficæ.

Sapiéntia es lignum vitæ his, qui apprehénderint eam, et homo qui tenúerit eam est beatus.

Dóminus fundavit terram sapiéntia, stabilivit cælos prudéntia.

Abyssi erupérunt sapiéntia illfus, et nubes concresecunt rore.

Fili mi, hæc ne éffluent ab óculis tuis; custodi legem atque consílium: et vita erit ánimæ tuæ.

Tunc ambulabis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impinget.

Si dorméris, non timebis: quiesces, et somnus tuus erit suavis.

Ne páveas terrore repentino, et poténtias impiorum irruentes tibi.

Enim Dóminus erit in látere tuo, et custódiét pedem tuum ne capiáris.

Noli prohibére eum, qui potest, benefácere; si vales, et tu ipse benefac.

Ne dicas amico tuo: Vade et revértere, dabo tibi cras, cùm possis dare statim.

Ne moliaris malum amico tuo, cùm ille hábeat fidúciám in te.

Ne contendas frustrà adversùs hóminem, cùm ipse nihil mali fécerit tibi.

Ne æmuleris hóminem injustum, nec imitéris vias ejus:

Quia omnis illusor est abominátio Dómini, et sermocinátio ejus est cum simplicibus.

Egestas a Dómino erit in domo impii, áutem habitácula justorum benedicentur.

Ipsè deludet illusores, et dabit grátiam mansuetis.  
Sapientes possidebunt glóriam, exaltátio stultorum erit  
ignominia.

II

EXCELENCIA DE LA SABIDURÍA.—BIENES QUE TRAE A LOS  
QUE LA ESCUCHAN Y MALES QUE ACOMPAÑAN A LOS  
QUE LA DESECHAN

Párvuli, intélígite astútiam, et insipientes, animad-  
vértite.

Audíte, quóniam locutura sum de rebus magnis, et lá-  
bia mea aperientur ut prædicent recta.

Guttur meum meditábitur veritatem, et lábia mea de-  
testabuntur ímpium.

Omnes sermones mei sunt justí, quid pravum, neque  
perversum non est in eis.

Sermones mei sunt recti intelligéntibus, et æqui inve-  
niéntibus sciéntiam.

Accípite disciplinam meam et non pecúniam: elígite doc-  
trinam magis quàm áurum.

Enim sapiéntia est mélior cunctis pretiosíssimis, et om-  
ne desiderábile non potest comparari ei.

Ego sapiéntia hábito in consílio et intersum cogitatio-  
nibus eruditís.

Detestor arrogántiam et supérbiam et viam pravam et  
os bilíngue.

Consílium est meum, et æquitas est mea, prudéntia est  
mea, fortitudo est mea.

Reges regnant per me, et conditores legum decernunt  
justa.

Príncipes ímperant per me, et potentes decernunt jus-  
títiam.

Ego díligo diligentes me, et qui vígilant manè ad me  
invénient me.

Divitiæ et glória, opes superbæ et justitia sunt cum me.  
Enim fructus meus est mélior auro et lápide pretioso,  
et genimina mea sunt meliora argento electo.

Ambulo in viis justitiæ, in médio semitarum judici; ut  
ditem diligentes me, et ut répleam thesáuros eorum

Dóminus possedit me in inítio viarum suarum, a princí-  
pio, ántequám fáceret quidquam.

Ordinata sum ab æterno, et ex antiquis, ántequàm te-  
rra fieret.

Nondum abyssi erant, et ego jam concepta eram:

Necdum fontes aquarum erúperant; necdum montes  
constíterant mole gravi; ego parturiebar ante colles: ad-  
huc Dóminus non fécerat terram, et flúmina, et cárdines  
orbis terræ.

Ego áderam, quando præparabat coelos; quando valla-  
bat abyssos lege certa et gyro; quando firmabat sursùm  
æthera, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat  
términum suum mari, et ponebat legem aquis ne transirent  
fines suos; quando appendebat fundamenta terræ.

Ego eram cum eo componens cuncta, et delectabar per  
sínculos dies, ludens coràm eo omni témpore: ludens in or-  
be terrarum, et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum.

Nunc ergo, fílii, audite me: Beati qui custódiunt vias  
meas.

Audite disciplinam et estote sapientes, et nolite adjícere  
eam.

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat quotidie ad  
fores meas, et observat ad postes óstii mei.

Qui invénerit me invéniet vitam et háuriet salutem a  
Dómino; autem qui peccáverit in me lædet ánimam suam:  
Omnes, qui me oderunt, díligunt mortem.

---

# Compendio de la Historia de Roma

POR

**EUTROPIO**

---

I

## FUNDACIÓN DE ROMA

Romanum impérium a Rómulo exórdium habet. Is, quum inter pastores latrocinaretur, octódecim annos natus, urbem exíguam in Palatino monte constituit, undécimo Calendas Majas Olimpiadis sextæ anno tértio; post Trojæ excídiu, ut qui plúrimu minimumque tradunt, trecentésimo nonagésimo quarto.

II

## ROMA GOVERNADA POR REYES.—RÓMULO

Cóndita civitate quam ex nómine suo Romam vocavit, hæc ferè egit. Multitúdinem finitimorum in civitatem recepit; centum ex senióribus elegit, quorum consílio ómnia ágeret, quos *Senatores* nominavit propter senectutem. Tunc, quum uxores ipse et pópulus non haberent, invitavit ad spectáculum ludorum vicinas urbi nationes, atque earum vírgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum injúriam, Cæninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Vejentes, quæ ómnia óppida urbem cingunt. Et quum orta súbitò tempestate non comparuisset, anno regni trigésimo séptimo ad Deo transiise créditos, consecratus est. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperaverunt, et his regnántibus, annus unus completus est.

III

NUMA POMPILIO

Póstea Numa Pompílius rex creatus est, qui bellum nullum quidem gessit, sed non minùs civitatí, quàm Rómulus prófuit. Nam et leges Romanis, moresque constituit, qui consuetúdi- ne præliorum jam latrones ac semibárbari putabantur. Annum descripsit in decem menses priùs sinè áliqua computatione confusum, ðet infinita Romæ sacra ac templa constituit. Morbo decessit quadragésimo tértio impérii anno.

IV

TULLO HOSTILIO

Huic successit Tullus Hostílius. Hic bella reparavit, Albanos vicit, qui ab urbe Roma duodécimo milliário ab- sunt. Veientes et Fidenates, quorum álii sexto miliário ab- sunt ab urbe Romana, álii octavo décimo, bello superavit; urbem ampliavit, adjecto Cælio monte. Quum triginta duo- bus annis regnâset, fúlmine ictus, cum domo sua arsit.

V

ANCO MARCIO

Post hunc Ancus Március, Numæ ex filia nepos, sus- cepit impérium. Contra latinos, dimicavit; Aventinum mon- tem civitati adjecit et Janículum; Ostiam civitatem supra mare sexto décimo miliário ab urbe Roma cóndidit; vigé- simo quarto anno impérii morbo périit.

VI

PRISCO TARQUINIO

Deinde regnum Priscus Tarquínius accepit. Hic núme- rum Senatorum duplicavit, Circum Romæ ædificavit, ludos Romanos instituit, qui ad nostram memóriam pérmanent

Vicit idem étiam Sabinos, et non parum agrorum, sublatum iisdem, urbis Romæ territorio adjunxit; primusque triumphans urbem intravit. Muros fecit et cloacas, Capitólium inchoavit. Trigésimo octavo impérii anno per Ancifilios occisus est, regis ejus cui ipse succésserat.

## VII

### SERVIO TULLIO

Post hunc Sérvius Túllius suscepit impérium, génius ex nobili femina, captiva tamen et ancilla. Hic quoque Sabinos subegit, montes tres, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum, Urbi adjunxit; fossas circùm murum duxit. Primus ómnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incógnitus erat. Sub eo Roma, ómnibus in censum delatis, hábuit cápítum octoginta quatuor millia cívium Romanorum cum hisqui in agris erant. Occisus est quadragésimo quinto impérii anno scélere géneri sui Tarquínii Superbi, filii ejus regis cui ipse succésserat, et filiæ suæ quam Tarquínus habebat uxorem.

## VIII

### LUCIO TARQUINIO EL SOBERBIO, SÉPTIMO Y ÚLTIMO REY DE ROMA

Lúcius Tarquínus Superbus, séptimus atque últimus regum, Volcos (quæ gens ad Campániam eúntitibus non longè ad urbe est) vicit; Gávios civitatem et Suessam Pométiam subegit; cum Thuscis pacem fecit, et templum Jovi in Capitólic ædificavit. Póstea Ardeam oppugnans, in octavo décimo milliario ad urbe pósitam civitatem, impérium pérdidit. Nam quum filius ejus, et ipse Tarquínus júnior, nobilíssimi Collatini uxorem stuprasset, éaque de injúria marito et patri, et amicis questa fuisset, in ómnium conspectu se occidit: propter quam causam Brutus parens, et ipse Collatinus, pópulum concitavit, et Tarquínio ademit

impérium. Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat. reliquit; veniensque ad urbem rex. portis clausis, exclusus est Cùmque imperasset annos viginti quinque, cum uxore et liberis suis fugit.

Ita Romæ regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus, quum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum milliárium possideret.

## IX

### CREACIÓN DE LOS CÓNSES

Hinc Cónsules cœpere pro uno rege duo hac cása creari; ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem símilem, coerceret. Et placuit, ne impérium longiùs quàm annum haberent; ne per diurnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent qui se post annum scirent futuros esse. privados. Fuerunt igitur anno primo, expulsis régibus, cónsules, Lúcius Június Brutus, qui máximè égerat, ut Tarquínus pelleretur. et Tarquínus Collatinus, maritus Lucrétiae. Sed Tarquínio Collatino statim sublata dignitas est: placterat enim, ne quisquam in urbe maneret, qui Tarquínus vocaretur. Ergo, accepto omni património suo, ex urbe enigravit, et loco ipsius factus est Valérius Públicola consul.

## X

### TARQUINIO EL SOBERBIO HACE LA GUERRA A LOS ROMANOS

Commovit tamen bellum urbi Romanæ rex Tarquínus, qui fuerat expulsus; et collectis úndique multis géntibus, ut in regnum posset restítui dimicavit. In prima pugna Brutus et Aruns, Tarquínii filius, invicem se occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitiae suæ, quasi communem patrem, per annum luxerunt. Valérius Públicola Spúrium Lucrécium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucrétiae



patrem; quo morbo mórtuo, iterum Horátium Pulvillum collegam sibi sumpsit. Ita primus annus quinque cónsules hábuit, quum Tarquínus Collatinus urbe cessisset propter nomen, Brutus praelio periisset, Sp. Lucretius morbo mórtuus esset.

## XI

### NUEVAS TENTATIVAS DE TARQUINIO.—GUERRA CONTRA LOS SABINOS

Secundo quoque anno iterum Tarquínus, ut recipere-  
tur in regnum, bellum Romanis intulit, auxili-  
um ei ferente Pórsena, Thúsciae rege, et Romam penè cepit. Verum tum  
quoque victus est. Tértio anno post reges exactos, Tarquí-  
nius, cum súscipi non posset in regnum, neque ei Pórsena,  
qui pacem cum Romanis fécerat, auxili-  
um præstaret, Túsculum se cóntulit, quæ civitas non longè ab urbe est;  
atque ibi per quatuórdecim annos privatus cum uxore  
persénuit.

Quarto anno post reges exactos quum Sabini Romanis  
bellum intulissent, victi sunt, et de his est triumphatum.

Quinto anno, Lúcius Valérius, ille Bruti collega, et  
quartum Consul, fatáliter mórtuus est; áded páuper ut col-  
latis a pópulo nummis, suptum habúerit sepulturæ; quem  
matronæ, sicut Brutum, annum luxerunt.

## XII

### ORIGEN DE LA DICTADURA

Nono anno post reges exactos, quum gener Tarquinii,  
ad injúriam sóceri vindicandam, ingentem collegisset exér-  
citum, nova Romæ dignitas est creata, quæ *Dictatura* ap-  
pellatur, major quàm Consulatus. Eodem anno étiam *Ma-*  
*gister Equitum* factus est, qui Dictatori obsequeretur...

Dictator autem Romæ primus fuit Lartius; Magister  
Équitum primus, Spúrius Césius.



### XIII

#### ORIGEN DEL PODER TRIBUNICIO

Sexto décimo anno post reges exactos seditionem pópulus Romæ fecit, tánquam a senatu atque Consúlibus premeretur. Tum et ipse sibi Tribunos plebis, quasi próprios júdices et defensores creavit, per quos contra Senatum et Cónsules tutus esse posset.

Sequenti anno Volsci contra Romanos bellum reparaverunt; et victi ácie, étiam Coríolos civitatem, quam habebant óptimam, perdiderunt.

### XIV

#### ORIGEN DEL DECEMVIRATO

Anno trecentésimo et áltero ab urbe cóndita impérium consulare cessavit, et pro duobus Consúlibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, *Decémviri* nominati.

Sed quum primo anno benè egissent, secundo unus ex iis, Apíus Cláudius Virgínii cujusdam, qui honestis jam stipéndiis contra latinos in monte Algido militabat, filiam vírginem corrumpere vóluit; quam pater occidit, ne stuprum a Decémviro sustineret, et regresus ad mílites, movit tumultum. Sublata est Decémviris potestas, ipsique damnati sunt.

### XV

#### CREACIÓN DE LOS TRIBUNOS MILITARES

Anno trecentésimo sexagésimo quinto ab urbe cóndita, post captam autem primo, dignitates mutatæ sunt et pro duobus Consúlibus facti Tribuni Militares consulari potestate. Hinc jam cœpit Romana res créscere. Nam Camilus eo anno Volscorum civitatem, quæ per septuaginta annos bellum gésserat vicit et Æquorum urbem, et Sutrinorum; atque omnes, deletis eorum exercítibus, occupavit. et tres simul triumphos egit.

## XVI

### RESTABLECIMIENTO DEL CONSULADO

Verùm dignitas Tribunorum militarium non diu perseveravit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri; et quadriennium ita in urbe fluxit, ut potestates ibi majores non essent. Resserunt tamen Tribuni Militares consulari potestate iterum dignitatem, et triennio perseveraverunt. Rursus Cónsules facti.

## XVII

### PRIMERA GUERRA PÚNICA

Anno quadringentesimo septuagesimo séptimo, quum jam clarum urbis Romæ nomen esset. arma tamen extra Itáliam mota non fuerant. Ut igitur cognosceretur, quæ copiae Romanorum essent, census est habitus: tum inventa sunt civium capita bis centum nonaginta duo millia, trecenta et triginta tria, quamquam a condita urbe nunquam bella cessassent. Et contra Afos bellum susceptum est primum, Appio Cláudio et Quinto Fúlvio consúlibus. In Sicilia contra eos pugnatum est, et Appius Cláudius de Afris et rege Siciliæ Hierone triumphavit.

Insequenti anno, Valério Marco et Octacilio consúlibus, in Sicilia a Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani, Catanenses, et præterea quinquaginta civitates in fidem acceptæ sunt. Tértio anno in Sicilia contra Hieronem bellum paratum est. Is cum omni nobilitate Syracusanorum pacem a Romanis impetravit deditque argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia victi sunt et de his secundò Romæ triumphatum est.

Quinto anno belli Púnici, quod contra Afros gerebatur, primùm Romani, C. Duílio et Cn. Cornélio Asino consúlibus. in mari dimicaverunt, paratis návibus rostratis, quas *Liburnas* vocant Consul Cornélius fráude deceptus est: Duí-

lius, commisso prælio, Carthaginiensium ducem vicit, triginta et unam naves cepit, quatuordecim mersit, octo millia hostium cepit, tria millia occidit. Neque ulla victoria Romanis gravior fuit; quod invicta terra, jam etiam mari plurimum possent. C. Aquilio Floro, L. Scipione consulis, Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa millia inde captivorum adduxit, triumphum egit.

Lúcio Mánlio Volgone, Marco Attílio Régulo consulis bellum in Africam traslatum est contra Hamílcarem Carthaginiensium ducem. In mari pugnatum; victusque est. Nam perditis sexaginta quatuor navibus, retrò se recepit. Romani viginti duas amiserunt; sed quum in Africam transiissent, primam Clypeam Africæ civitatem in deditiorem acceperunt. Cónsules usque ad Cartháginem processerunt; multisque vastatis oppidis, Mánlius victor Romanam rediit, et viginti septem millia captivorum reduxit. Attílius Régulus in Africa remansit. Is contra Afros áciem instruxit: contra tres Carthaginiensium duces dímicans, victor fuit. Octódecim millia hostium occidit, quinque millia cum octo elephántibus cepit, septuaginta quatuor civitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginenses, pacem a Romanis petierunt: quam cum Régulus nollet, nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedæmoniis petierunt; et duce Xantippo, qui a Lacedæmoniis missus fuerat, Romanorum dux Régulus victus est última pernicie; nam duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu remanserunt; quindecim millia cum imperatore Régulo capta sunt, triginta millia occisa, Régulus ipse in catenas conjectus.

M. Æmílio Páulo, Serv. Fúlvio Nobiliore consulis, ambo cónsules Romani Africam profecti sunt: cum trecentarum navium classe Clypeam petunt, et contra Carthaginenses venerunt. Primum Afros navali certamine superant. Æmílius consul centum et quatuor naves hostium demersit triginta cum pugnatóribus cepit, quindecim millia hostium aut occidit, aut cepit. Militem suum ingenti præda

ditavit; et subacta Africa tum fuisset, nisi tanta fames fuisset, ut diútius exspectare exércitus non posset Cónsules cum victrice classe redeuntes, circa Sicíliam naufrágium passi sunt; et tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta quátuor návibus octoginta servari vix potúerint; neque ullo témpore tanta marítima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt, neque in áliquo ánimus his infractus fuit.

Cnæus Servílius Cæpio, et C Semprónius Blæsus cónsules cum ducentis sexaginta návibus ad Africam profecti sunt. Aliquot civitates ceperunt; prædam ingentem reducentes naufrágium passi sunt. Itaque quum continuæ calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus, ut a marítimis præliis discederetur, et tantùm sexaginta naves ad præsidium Itáliæ salvæ essent.

Lúcio Cæcílio Metello, C. Fúrio Pacillo consúlibus, Metellus in Sicília Afrorum ducem cum centum triginta elephantis et magnis cópiis venientem, superavit. Viginti millia hóstium cecidit, sex et viginti elephantos cepit, réliquos errantes per Númidas quos in auxiliium habebat, collegit, et Romam deduxit ingenti pompa quum centum triginta elephantorum número ómnia itínera compleret. Post hæc mala Carthaginienses Régulum ducem, quem, céperant, petierunt, ut Romam proficisceretur, et pacem a Romanis obtineret, ac permutationem captivorum fáceret.

Ille Romam quum venisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit, dixitque: «Se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse», Ítaque, et uxorem a complexu removit et Romanis suasit, ne pax cum Pœnis fieret: «Illos enim fractos tot cásibus, spem nullam habere; se tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se et senem, et páucos, qui ex Romanis capti fúerant, redderentur». Ítaque obtínuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit: ipse Cartháginem rédiit, offerentibusque Romanis, ut eum Romæ tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua póstquàm Afris servíerat, dig-

nitatem honesti civis habere nom posset. Regresus igitur ad Africam. ómnibus suplíciis extinctus est.

P. Cláudio Pulchro, C. Júnio, consúlibus, Cláudius contra auspícia pugnavit, et a Cartaginiénsibus víctus est. Nam ex ducentis et viginti návibus, cum triginta fugit: nonaginta cum pugnatóribus captæ sunt, demersæ céteræ, viginti millia capta Alius quoque consul classem naufrágio amisit; exércitum tamen salvum hábuit quia vicina líttora erant.

C. Luctátio Cálulo, Aulio Posthúmio Albino consúlibus, anno bélli Púnici vigésimo tértio a Cátulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum trecentis návibus in Sicíliam. Afrí contrá ipsum quadringentas paraverunt. Luctátius Cátulus navem æger ascendit; vulneratus enim in pugna superiore fúerat. Contra Lilybæum civitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum, nam septuaginta tres Cartaginiénsium naves captæ sunt, centum viginti quinque demersæ; triginta duo millia hóstium capta, trédecim occisa; infinitum auri argentique pondus in potestatem Romanorum reductum. Ex classe Romana duódecim naves demersæ. Pugnatum est VI Idus Mártias. Statim Cartaginienses pacem petierunt; tribútaque iis pax. Captivi Romanorum, qui tenebantur a Cartaginiénsibus rédditi sunt. Etiam Cartaginienses petierunt, ut rédimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus jussit sinè prétió dari eos, qui in pública custódia essent; qui autem a privatis tenerentur, ut prétió póminis réddito, Cartháginem redirent, atque id prétiú ex fisco magis quàm a Cartaginiénsibus solveretur.

---

BIOGRAFÍAS  
POR  
CORNELIO NEPOTE  

---

MILCIADES

I

Queriendo los atenienses enviar una colonia al Kersoneso, nombran a Milciades general de dicha expedición por consejo del oráculo de Delphos.—Salida de Milciades con una escuadra.—Llegada de éste al Kersoneso.

Miltiades, Cimónis filius, Atheniensis, cùm et antiquitate géneris, et glória majorum, et sua modéstia, unus ómnium máximè floreret, eaque esset ætate, ut non jam solùm de eo benè sperare, sed étiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cógnitum judicarunt: áccidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus géneris cùm magnus número esset, et multi ejus demigrationis péterent societatem, ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt qui consúlerent Apóllinem, quo potíssimùm duce uterentur. Namque tum Thraces eas regiones tenebat, cum quibus armis erat dimicandum. His consuléntibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem súmerent. Id si fecissent, incœpta próspéra futura.

Hoc oráculi responso Miltiades dum delecta manu classe Cherssonesum profectus, cùm accessisset Lemnum, et incolas ejus ínsulæ sub potestatem redígeret vellet Atheniénsium, idque ut Lémni sua sponte fácerent, postulasset, illi irridentes responderunt: Tum id se facturos, cùm illi, domo návibus proficiscens, vento Aquilone venisset Lemnum. Hic enim ventus, a septentriónibus óriens, adversùm tenet Athenis proficiscéntibus. Miltiades morandi tempus non habens, cursum direxit quò tendebat, prevenitque Chersonesum.

II

Derrota Milciades a los tracios y distribuye sus tierras entre nuevos colonos que llevó de Atenas.—Sumisión de Lemnos y de las islas Cícladas.

Ibi brevi témpere barbarorum cópiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idónea, comunivit: multitudinem, quam secum dúxerat, in agris collocavit, crebisque excursiónibus locupletavit. Neque minùs in ea re prudéntia, quàm felicitate, adjutus est. Nam cùm virtute mílitum devicisset hóstium exércitus, summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate régia quamvis carebat nómine, neque id magis império quàm justítia consecutus. Neque eò sécius Atheniénsibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minùs eorum voluntate perpétuò impérium obtineret qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus.

Chersoneso tali modo constituta, Lemnum revértitur et ex pacto póstulat, ut sibi urbem tradant: illi enim díxerant, cùm ventu Bórea domo profectus eò pervenisset, sese dedituros; se autem domum Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex ínsula demigrárunť. Pari felicitate céteras ínsulas, quæ Cyclades nominantur sub Atheniénsium redegit potestatem.

III

Darfo, reyde persia, declara la guerra a los Escitas, levanta un puente sobre el Danubio y confía a Milciades su custodia. Conociendo éste los designios de Darfo, intenta cortar el puente para salvar las colonias griegas; mas como se opusieran sus compañeros, deja el Kersoneso y vuelve a Atenas.

Eisdem tempóribus Persarum Rex Darius, Ex Asia in Europam exércitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Istro flúmine, quà cópias tradúceret.



Ejus pontis, dum ipse abesset custodes, reliquit principes, quos secum ex Iónia, et Æólide dúxerat, quibus singulis ipsarum úrbium perpétua déderat impéria. Sic enim putavit, facíllimè se Græca língua loquentes, qui Asiam incólerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis óppida tuenda tradidisset, quibus, se oppresso, nulla spes salutis reliqueretur. In hoc fuit tum número Miltíades, cui illa custodia crederetur. Hic, cùm crebri afferrent núntii malè rem gèrere Darium premique ab Scythis, hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. Nam, si cum his cópiis, quas secum transportáverat, interiisset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed étiam eos, qui Asiam incólerent Gæci gènere, líberos a Persarum futuros dominatione et perículo: Id et fácilè éffici posse; ponte enim rescisso, Regem vel hóstium ferro vel inópia paucis diebus interiturum.

Ad hoc consílium cùm plerique accéderent, Histiaeus Milésius ne res conficeretur óbstitit, dicens: Non idem ipsis, qui summas impérii tenerent, expedire, et multitudini, quòd Darii regno ipsorum níteretur dominátio. Quo extincto, ipsos potestate expulsos cívibus suis pœnas daturus. Itaque ádedè se abhorrere a ceterorum consílio, ut nihil putet ipsis utiliùs, quàm confirmari regnum Persarum. Hujus cùm sententiam plúrimi essent secuti, Miltíades, non dúbitans tam multis cónciis ad regis aures consília sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit. Cujus rátio etsi non váluit, tamen magnòperè est laudanda, cùm amíciór ómnium libertati, cuàm suæ fuérit dominationi.

#### IV

Dario apresta una poderosa armada al mando de Datis y Artafernes, los cuales desembarcando en la isla de Eubea se apoderan de Eretria. Sobrecogidos los atenienses, piden auxilio u los Lacedemonios.— Consejo de Milciades.

Darius autem, cùm ex Europa in Asiam rediisset, hortántibus amicis, ut Græciam redígeret in suam potestatem,

classem quingentarum návium comparavit, eique Datim præfecit et Artaphernem, hisque ducenta peditum millia, et decem equitum dedit, causam intèrserens se hostem esse Atheniènsibus, quòd eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaque præsidia interfecissent. Illi Præfecti régii, classe ad Eubœam appulsa, celèriter Erétriam ceperunt, omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad Regem miserunt. Indè ad Atticam accesserunt ac suas cópias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem.

Hoc tumulto Athenienses tam propínquo tamque magno permoti auxilium nusquam nisi a Lacedæmoniis petiverunt; Philippidemque, cursorem ejus géneris qui hemeródromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiarent quàm céleri opus esset auxilio. Domi autem creati decem prætores, qui exercítui præsent, in eis Miltiades. Inter quos magna fuit conténtio, utrum mœnibus se defénderent, an óbviã irent hóstibus acieque decérnerent. Unus Miltiades máximè nitebatur, ut primo quoque témpore castra fierent. Id si factum esset, et civibus ánimum accessurum cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent auderi adversùs se tam exiguis cópiis dimicare.

## V

Los atenienses con el único auxilio que reciben de la ciudad de Platea salen al encuentro de los persas.—Famosa batalla de Maratón.

Hoc in témpore nulla civitas Atheniènsibus auxilio fuit, præter Platæensium. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt; quæ manus mirábili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est et plus quàm collegæ Miltiades valúerit. Ejus enim auctoritate impulsì Athenienses cópias ex urbe eduxerunt, locone idóneo castra fecerunt. Deinde póstero die sub montis radicibus, ácie e regione iustructa, nova arte, ví summa

prœlium commiserunt (namque árbores multis locis erant raræ) hoc consilio ut et montium tegerentur altitúdine et árborum tractu equitatus hóstium impediretur, ne multitudíne clauderentur.

Datis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus número copiarum suarum confligere cupiebat: edque magis quodd, priúsqvam Lacedæmónii subsidio venirent, dimicare útile arbitrabatur. Itaque in áciem péditum centum, équitum decem míllia produxit, prœliumque commisit. In quo tantó plus virtute valuerunt Athenienses, ut decémplicem número hóstium profligarent adeoque perterrerunt, ut Persæ non castra sed naves péterent. Qua pugna nihil adhuc es nobílius: Nulla enim únquam tam exigua manus tantas opes postravit.

## VI

Premio que los atenienses dieron a Milciades por esta victoria.

Cujus victóriæ non alienum videtur quale præmium Miltiadi sit tributum, docere. Quodd facilius intélligi possit, eamdem ómnium civitatum esse naturam. Ut enim pópuli nostri honores quondam fúerunt rari et ténues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti, sic olim apud Athenienses fuisse repérimus. Namque huic Miltiadi qui Athenas totamque Græciam liberarat, talis honos tributus est in pórticu, quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathónia, ut in decem Prætorum número prima ejus imago poneretur, isque hortaretur mílites prœliumque committeret posteaquam majus impérium est nactus et largitione magistrátuum corruptus est, trecentas statuas Demétrio Phaléreó decrevit.



## VII

Disponen los atenienses una flota para castigar las islas que habían favorecido a los persas y confían la dirección de ella a Milciades, que en breve tiempo reduce a la obediencia la mayor parte; pero habiéndose malogrado su expedición contra Paros, fué acusado de traición y condenado a pagar una multa.

Post hoc proelium classem septuaginta nāvium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ bárbaros adjúverant, bello persequeretur. Quo império plerasque ad officium redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam, ópibus elatam, cùm oratione reconciliare non posset, cópias e nāvibus eduxit. urbem opéribus clausit omnique commeatu privavit; deinde véneis ac testudínibus constitutis, própius muros accessit. Cùm jam in eo esset, ut óppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur. néscio quo casu nocturno témpore incensus est cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatóribus est visa, utrisque venit in opinionem signum a classiáriis régiis datum. Quo factum est ut et Párii a deditioe deterrentur, et Miltiades timens ne classis régia adventaret, incensis opéribus quæ statúerat, cum tótidem nāvibus atque erat profectus Athenas magna cum offensione cívium suorum rediret.

Accusatus ergo est prodicionis, quòd, cùm Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus a pugna discessisset. Eo témpore æger erat vulneribus, quæ in opugnando óppido accéperat. Itaque, quóniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tiságoras. Causa cógnita, cápitis absolutus, pecúnia mulctatus est, éaque lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecúniam quòd sólvare in præséntia non póterat, in víncula pública coniectus est, ibique diem óbiit supremum.

## VIII

Verdadera causa de la acusación de Milciades.

Hic etsi crimine Pário est accusatus, tamen ália fuit causa damnationis. Nam Athenienses propter Pisístrati tyránnidem, quæ paucis annis ante fúerat, ómnium suorum cívium poténtiam extimescebant. Miltíades, multùm in impériis, magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim cùm consuetúdiue ad impérii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos quos habitarat annos perpétuam obtinúerat dominationem Tyrannusque fúerat appellatus sed justus; Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinúerat. Omnes autem et habentur, et dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpétua in ea civitate quæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humánitas; tum mira cómitas, ut nemo tam húmilis esset, cui non ad eum áditus pateret; magna auctóritas apud omnes civitates, nóbile nomen, laus rei militaris máxima. Hæc pópulus respíciens, máluit eum innóxiu plecti quàm se diutiùs esse in timore.

---

# M. PORCIO CATÓN

## I

Nacimiento y primeros años de Catón.—Pasa a Roma. Sus principales cargos.—Su enemistad con Escipión. Trae a Roma al poeta Enio.

Cato ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret. versatus est in Sabinis quod ibi hæredium a patre relictum habebat Hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam. ut M. Perpenna Censorinus narrare solitus est, Romam demigravit, in foros que esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem septemque. Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. Tribunus militum in Sicilia fuit. Indè ut rediit, castra sequutus est C. Claudii Neronis, magnique ejus opera existimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Asdrubal, frater Annibalis. Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit; namque ab eo perpetua dissensit vita. Edilis plebis factus est cum C. Helvio. Prætor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua Quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat: quod non minoris existimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardinensem triumphum.

## II

Su consulado, gobierno de España y triunfo.—Inútiles tentativas de Escipión —Severidad de Catón en el cargo de Censor.—Enemistades que tuvo que tolerar.—Su constancia en la virtud.

Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. Ibi quum diutiùs moraretur, P. Scipio Africanus, Consul iterum, cujus in priore consulatu Quæstor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per Senatum efficere potuit, cum quidem Scipio in civitate principatum obtineret; quod tum non potentia, sed jure respublica administrabatur. Qua ex re ira

tus, senatu peracto, privatus in urbe mansit. At Cato, Censor cum eodem Flacco factus, severè præfuit ei potestati. Nam et in complures nobilis animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octoginta, usque ad extremam ætatem, ab adolescentia, reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit virtutum laude crevit.

### III

Prendas de Catón.— Su talento universal. Empieza tarde los estudios, pero hace grandes progresos.—Ocúpase en escribir historias en los últimos años de su vida.—Catálogo y elogio de sus obras.

In omnibus rebus singulari fuit prudentia, et industria. Nam et agricola solers, et reipublicæ peritus, et jurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium, etsi senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facillè reperire possis, neque de græcis, neque de italicis rebus, quod ei fuerit incognitum.

Ab adolescentia confecit orationes: senex scribere historias instituit. Quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi romani: secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit italica. Ob quam rem omnes *origines* videtur appellasse. In quarto autem bellum punicum primum: in quinto, secundum. Atque hæc omnia capitulatum sunt dicta. Reliqua bella pari modo persecutus est, usque ad præturam Servii Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sinè nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quæ in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina.

Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecutus sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus

# Sexto Aurelio Víctor

---

## I

### PROCAS, REY DE LOS ROMANOS

Procas, Rex Albanorum, Amulium et Numitoren filios habuit; quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit. Sed Amulius fratri imperium non dedit, et, ut sobole privaret, Ream Silviam, filiam ejus, Vestæ sacerdotem præfecit, ut virginitate perpétua teneretur; quæ, a Marte compressa, Rómulum et Remum édedit. Amulius ipsam in vincula compegit; párvulos in Tiberim abjecit, quos aqua in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eosque ubéribus suis aluit. Mox Fáustulus pastor collectos Accæ Laurenciæ cónjugi educandos dedit; qui postea, Amulio interfecto, Numítori avo regnum restituerunt. Ipsi, pastoribus adunatis, civitatem condiderunt, quam Rómulus augurio victor, quód ipse duodecim, Remus sex vúltores viderat, Romam vocavit; et, ut eam prius légibus, quàm mœnibus muniret, edixit, ne quis vallum transiliret; quod Remus irridens transiluit, et a Célere centurione rutro fertur occisus.

## II

### RÓMULO PRIMER REY DE LOS ROMANOS

Rómulus asylum cónvenis patefecit, et magno exércitu facto, cùm videret conjugia deesse, per legatos a finítimis civitatibus pétiit. Quibus negatis, ludos consuales simulavit, adquos quum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo, virgines raptæ sunt, ex quibus cùm una pulchérrima cum magna omnium admiratione duceretur, Talasio eam duci responsum. Quæ nuptiæ quia felciter cesse-



runt, institutum est, ut ómnibus nuptiis Talassii nomen invocaretur. Quum fœminas finitimorum Romani vi rapuisent, primi Cæninenses contra eos bellum sumpserunt. Adversus quos Rómulus processit, et exércitum eorum, ac ducem Acronem singulari prælio devicit. Spólia ópima Jovi Feretrio in Capitolio consecravit. Antemnâtes, Crustumini, Fidenates, Vejentes, Sabini etiam ob raptas bellum adversus Romanos sumpserunt. Et. quum Romæ appropinquarent, Tarpejam vírginem nacti, quæ aquæ, causa sacrorum, hauriendæ descenderat, ei Titus Tatíus optionem múneris dedit, si exércitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit, quod illi in sinistris mânibus gerebant, videlicet annulos et armillas. Quibus dolosé repromissis. Sabinos in arcem perduxit, ubi Talíus scutis eam obrui præcepit, nam et ea in lævis habuerant Romulus adversus Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, processit. et in eo loco, ubi nunc romanum forum est. pugnam conseruit; ibi Hostus Hostilius fortissimè dimicans cecidit; cujus intéritu consternati Romani fûgere cœperunt. Tunc Rómulus Jovi Statori ædem vovit, et exércitus seu forté, seu divinitus réstitit. Tunc raptæ iu medium processerunt: et hinc patres, inde cónjuges depræcatæ, pacem conciliarunt. Rómulus fœdus percussit, et Sabinos in urbem recepit: pópulum a Cûribus, oppido Sabinorum, Quirites vocavit: centum Senatores a pietate Patres apellavit. Tres équitum centurias instituit, quas a suo nómine Ramnenses, a Titio Tatio Tatienses. a Lucomone Luceres appellavit. Plebem in triginta curias distribuit, easque raptarum nomínibus apellavit. Æde in colle Quirinali Rómulo constituta, ipse pro Deo cultus, et Quírinus appellatus est.

### III

#### NUMA POMPILIO, REY DE LOS ROMANOS

Post consecrationem Rómuli. cùm diu interregnum esset, et seditiones orirentur, Numa Pompilius, Pomponii fi-

lius, Cùribus oppido Sabinorum, accitus, cùm, addicéntibus avibus Romam venisset, ut pópulum ferum religione molliret, sacra plurima instituit; ædem Vestæ fecit: Virgines Vestales legit: Flámines tres Dialectem, Martialem, Quirinalem, Salios Martis sacerdotes, quorum primus, Præsul vocatur, duodécim instituit; Pontificem Máximum creavit: portas Jano gémino ædificavit: annum ín duodecim menses dístribuit, additis Januario, et Februario: leges quoque plures et útiles tulit: omnia, quæ gerebat. jussu Egeriæ Nymphæ, cónjugis suæ, se fácere simulans. Ob hanc tantam justitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus, in Janiculo sepultus est, ubi post multos annos árcula cum libris a Terentio quodam exarata, qui libri, quia leves quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate Patrum cremati sunt.

#### IV

##### COMBATE DE LOS HORACIOS Y CURIACIOS

Quum inter Romanos et Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio et Futetio, placuit rem paucorum certámine finire. Erant apud Romanos trigémini Horatii, tres apud Albanos Curiatii, quibus, fœdere icto, concurréntibus, statim duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati. Unus Horatius, quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit, et singulos per intervalla, ut vúlnerum dolor patiebatur, insequentes interfecit. Et cùm spoliis onustus rediret, sororem obviam habuit. quæ, viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere cœpit. Frater eam occidit. Qua re apud Duumviros condemnatus, ad pópulum provocavít; ubi patriis lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub tigillum missus, quod nunc quoque viæ suppósitum, Sororium appellatur.

V

SERVIO TULLIO, SEXTO REY DE LOS ROMANOS

Servius Tullius, Tullii Corniculani et Oeresiæ filius, cùm in domo Tarquinii Prisci educaretur flammæ species caput ejus amplexa est, Hoc visu Tánaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. Cónjugi suasit, ut ita eum, ut liberos suos, educaret. Qui, cùm adolevisset, gener a Tarquinio assumptus est. Et cùm Rex occissus esset, Tánaquil, ex altiore loco ad pópulum despiciens, ait, Priscum Tarquinum, gravi quidem, sed non letali vúlnerè accépto, pétere, ut, interim dùm convalescit, Servii Tullii dicto audientes essent Servius Tullius quasi precario regnare cupit; sic recté imperium administravit Etruscós sæpe dómuit: collem Quirinalem, et Viminalè, et Esquilias urbi addidit; ággerem fossasque fecit; pópulum in quatuor tribus distribuit, ac póst. plebí distribuit annonam: mensuras, póndera, classes, centuriasque constituit. Latinorum pópulis persuasit, ut exemplo eorum, qui Dianæ Ephesiæ ædem fecissent, et ipsí ædem Dianæ in Aventino ædificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino miræ magnitúdinis nata, et responsum somnio datum, eum pópulum summam imperii habiturum, cujus civis bovem illam Dianæ immolasset, Latinus bovem in Aventinum egil, et causam sacerdoti romano exposuit. Ille cállidus dixit, eum prius vivo flumine manus abluere debere. Latinus, dum ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibi gloriam facto, consilioque vindicavit.

VI

TULIA, HIJA DE SERVIO TULLIO

Servius Tullius filiam álteram ferocem, mitem álteram habens, cùm Tarquinii filios pari ánimo videret. ut omnium mentes morum diversitate leniret, ferocem miti, mitem fe-

roci in matrimonium dedit. Sed mites seu fortè, seu fraude parierunt; feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius Superbus a Tullia incitatus, advocato Senatu, regnum paternum repètere cœpit. Qua re audita, Servius, dum ad Curiam properat, jussu Tarquinii grádibus dejectus, et domum refugiens, interfectus est. Tullia statim in forum properavit, et prima cónjugem regem salutavit; a quo jussa turba decédere, cùm domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum ágere præcepit. Unde vicus ille Sceleratus dictus. Postea Tullia cum cónjuge in exilium acta est

## VII

### TARQUINO EL SOBERBIO, ÚLTIMO REY DE LOS ROMANOS

Tarquinius Superbus cognomen mōribus meruit. Occiso Servio Tullio, regnum scelesté occupavit. Tamen bello etrenuus Latinos, Sabinosque domuit: Suessam Pometiam Volscis eripuit; Gabios per Sextum filium, simulato transfugio, in potestatem redegit; et ferias Latinas primus instituit. Foros in circo, et cloacam máximam fecit, ubi totius pòpuli viribus usus est, unde illæ fossæ Quiritium sunt dictæ. Cùm Capitolium inciperet, caput hóm̄inis invenit; unde cōgnitum est eam urbem caput gentium futuram. Et cùm in obsidione Ardeæ filius ejus Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsennam, Etruriæ regem, confugit; cujus ope regnum retinere tentavit. Pulsus, Cumas concessit; ubi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

## VIII

### HORACIO COCLES

Porsenna, Rex Etruscorum, cùm Tarquinos in urbem restituere tentaret, et primo impetu Janiculum cepisset, Horatius Cocles (illo cognóm̄ine, quód in alio prælio óculum amiserat,) pro ponte Sublicio stetit, et aciem hostium

solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit, et armatus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum est, quantum uno die circumarari potuisset. Statua quoque ei in Vulcanali pòsita.

IX

CAYO MUCIO ESCÉVOLA

Cùm Porsenna rex urbem obsideret, Mutius Cordus vir romanæ constantiæ, Senatum adiit, et veniam transfugendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsennæ venit, ibique purpuratum pro rege decéptus occidit. Apprehensus, et ad regem pertractus, dextram aris imposuit, hoc supplicii a rea exigens, quòd in cæde peccasset. Unde cùm misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens, ait trecentos adversus eum similes cònjurasse. Qua re ille térritus, bellum, accéptis obsidibus, deposuit. Mutio prata trans Tiberim data, ab eo Mutia appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

X

LA DONCELLA CLELIA

Porsenna Clæliam virginem nóbilem inter óbsides accepit: quæ, deceptis custódibus, noctu castris ejus egressa, equum, quem sors dederat, arripuit, et Tiberim trajécit. A Porsenna per legatos repetita, reddita est. Cujus ille virtutem admiratus, cum quibus optosset, in patriam redire permisit. Illa virgines, puerosque elegit, quorum ætatem injuriæ obnoxiam sciebat. Huic statua equéstris in foro pòsita.

XI

LUCIO QUINUIO CINCINATO

Lucius Quinctius Cincinnatus, filium Cæsonem petulantissimum abdicavit, qui, et a Censóribus notatus, ad

Volscos. et Sabinos confugit, qui, ducem Clœlio Gracho, bellum adversus Romanos gerebant; et Quintum Minútium cónsulem in Algido monte obsidebant. Quinctius Dictator dictus, ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt, qui. insignibus sumptis. Cónsulem obsidione liberavit. Quare a Minutio, et ejus exércitu corona aurea et osidionali donatus est. Vicit hostem, ducem eorum in deditionem accepit, et triumphii die ante currum egit. Sexto décimo die Dictaturam, quam accéperat depó-  
suit, et ad agriculturam reversus est. Iterum post viginti annos Dictator dictus, Spurium Mœlium regnum affectantem, a Servilio Ahala Magistro équitum occidi jussit. Domum ejus solo æquavit: unde locus ille Æquimelium dictus

---

# CARTAS FAMILIARES DE CICERÓN

---

## 1

Al Procónsul Acilo, recomendando a Cayo Flavio.

M. T. C. ACILO PROCOS S. D.

C. Flavio, honesto et ornato equite Romano, utor valdè familiariter. Fuit enim generi mei C. Pisonis pernecessarius; meque diligentissimè observat et ipse, et L. Flavius, frater ejus, Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus honestè, et pro tua dignitate proteris, quàm honorificentissimè, et quàm liberalissimè C. Flavium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo (neque id ambitione adductus facio, sed tua familiaritate et necessitudine, tum etiam veritate), te ex C. Flavii officio, et observantia, et præterea splendore atque inter suos gratia, magnam voluptaten esse capturum. Vale.

## 2

A Filipo, felicitándole por haber vuelto sin novedad al seno de su familia, e interesándole en favor de los hijos de su enemigo Antipatro Derbetes

M. T. C. PHILIPPO PROCOS S. D.

Gratulor tibi, quòd ex provincia salvum te ad tuos recepisti, incolumi fama et republica. Quòd si Romæ te vidissem, coram gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius præsens, curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi nom solùm hospitium, verùm etiam summa familiarittas intercedit. Ei te vehementer succensuisse audivi, et molestè tuli. De re nihil possum judicare, nisi illud mihi certè persuadeo, te talem virum, nihil

temerè fecisse. A te autem pro vetere nostra necessitudine etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimùm condones; nisi quid existimas in ea re violari existimationem tuam. Quod ego, si arbitrarer, numquam te rogarem; mihi tua fama multò antiquior esset, quam illa necessitudo est. Sed mihi ita persuadeo (potest fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potiùs, quàm vituperationi fore. Quid fieri possit, et quid meà causà facere possis (nam quid velis, non dubito) velim, si tibi grave non erit, certiozem me facias. Vale.

3

A C. Marcello, felicitándole por haber salido Cónsul su hijo

M. T. C. PROCÓNsul C. MARCELLO COLLEGÆ S. D.

Marcellum tuum Consulem factum, teque ea lætitia affectum esse, quam maximè optasti, mirum in modum gaudeo: idque cum ipsius causa, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perpexi: totam denique domum vestram vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxorit tuæ Juniaë, gravissimæ, atque optimæ feminæ, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod consuesti, peto, me absentem diligas atque defendas. Vale.

4

A Servilio, pidiéndole que favorezca a Cerelia

M. T. C. SERVILIO COLLEGÆ S. D.

Cereliæ necessariaë meæ, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi præsens in hortis tuis, quàm potui diligentissimè; tuque mihi pro tua consuetudine, proque tuis in me perpetuis, maximisquè officiis, omnia te facturum liberalissimè recepisti. Meminisse te id spero; scio enim so-



lere. Sed tamen Cereliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam esse commune faciendum. Peto igitur, ut memineris te omnia, quæ fides tua pateretur, mihi cumulatè recepisse. Equidem existimo habere te magnam facultatem (sed hoc tui est consilii et iudicii) ex eo Senatusconsulto, quod in hæredes C. Vennonii factum est, Cereliæ commodandi. Id Senatusconsultum tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim ejus ordinis auctoritatem semper apud te magnam fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscumque rebus Cereliæ benignè feceris mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

5

Al Cónsul Metelo, implorando su favor para que se le alce el destierro a que estaba condenado por Clodio, tribuno de la plebe.

M. T. C. Q. METELLO NEP CONSULI S. D.

Litteræ Quinti fratris, et Titi Pomponii necessarii mei, tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilii, quàm in tuo collega mihi constitutum fuerit. Itaque ad te litteras statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, et gratias tibi egi, et de reliquo tempore auxilium petii. Postea mihi non tam meorum litteræ, quàm sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum inmutatum significabant; quæ res fecit, ut tibi litteris obstrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus mitissimam tuam orationem, quam in Senatu habuisses, perscripsit: qua inductus, ad te scribere sum coactus; et abs te, quantum tua fert voluntas, peto, quæsoque, ut tuos mecum serves potiùs, quàm propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu, tuas inimicitias ut reipublicæ donares, te vicisti; alienas ut contra rempublicam confirmes adduceres? Quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo; sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari propter eam vim, quæ

me cum republica vicit, licuerit; vide ne, cum velis revocare tempus omnium conservandorum, cum qui servetur, non erit, non possis. Vale.

6

T. Fabio, consolándole en su destierro, y animándole con varias razones a que lleve en paciencia sus trabajos.

M. T. C. T. FABIO S. D.

Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam rem gravius jamdiu tuli, quam incommodum tuum; tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas, et qua conditione omnes homines, et quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit; propterea quod adeptus es quod non multi homines novi: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quam levissima pœna ab hac repub, discesserit. Tu verò, qui et fortunas, et liberos habeas, et nos, ceterosque necessitudine et benevolentia tecum conjunctissimos; quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, et cum omnibus tuis vivendi; et cum unum sit judicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia, eaque dubia, potentiæ alicujus condonatum existimetur; omnibus his de causis debes istam molestiam quam levissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet. Vale.

7

A su liberto Tiron, manifestándole el cuidado en que lo tiene su enfermedad y encargándole que se cuide.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

Andricus postridie ad me venit, quam exspectaram. Itaque habui noctem plenam timoris, ac miseræ. Tuis lit-

teris nihilo sum factus certior, quomodo te haberes; sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione litterisque omnibus careo, quas antequam te videro, attingere non possum. Medico mercedis, quantum poscet, promitti iubeto. Id scripsi ad Ummium. Audio te animo angi, et medicum dicere ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id cum tua, tum mea causa facias à te peto. Acastum retine, quò commodiùs tibi ministretur. Conserva te mihi. Dies promissorum adest, quem etiam representabo, si advenieris. Etiam, atque etiam vale. IV Idus, hora XI.

8

Alaba a Planco por el socorro que ha de dar a la República, y le aconseja persiga y acabe con Marco Antonio, derrotado ya en la batalla de Módena.

M. T. CICERO PLANCO IMPERATORI CONS. DESIG. S. D.

O gratam famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celéritate, de copiis! Atque etiam hóstibus fuis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minùs gratum extrema delere, quám prima depéllere. Equidem expectabam jam tuas litteras, idque cum multis sperabamque etiam Lépidum reipublicæ tempóribus admónitum, tecum et cum republica esse facturum. In illam igitur curam incumbet, mi Plance, ut ne qua scintilla tetérrimi belli relinquatur. Quod si erit factum, et reipublicam divino beneficio afféceris, et ipse æternam gloriam consequere. Vale.



Le exhorta a cuidar de su salud y a recobrar sus fuerzas.

TULLIUS, ET CICERO, ET Q. PATER, ET Q. FILIUS  
TIRONI S. D.

Varié sum affectus tuis litteris: valdé priore página perturbatus, paulum altera recreatus. Quare nunc quidem non dúbito, quin, quoad plané valeas, te neque navigationi, neque viæ committas: satis te maturé videro, si plané confirmatum videro. De médico, et ut bené existimari scribis, et ego sic audio: sed plané curationes ejus non probo, jus enim dandum tibi non fuit, cùm imbecillo stomacho esses: sed tamen, et ad illum scripsi accuraté, et ad Lysonem. Ad Curium verò suavissimum hóminem, et summi officii, summæque humanitatis multa scripsi: in his etiam, ut, si tibi videretur, te ad se transferres: Lyso enim noster vereor, ne negligentior sit; primúm, quia omnes Græci: deinde, quód, cùm a me litteras accepisset, mihi nullas remisit; sed eum tu laudas Tu igitur, quid faciendum sit, judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, qua ad valetúdinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret. Médico ipsi puto aliquid dandum esse, quò sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, doméstica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in pública, in litteris nostris. Omnia viceris, si, ut spero, te válidum videro. Ego puto te bellisimé, si recté erit, cum quæstore Mescinio decursurum. Non inhumanus est, teque, ut mihi visus est, diligit; et quum valetúдини tuæ diligentissimé consulueris, tum, mi Tiro, consúlito navigationi. Nulla in re jam te festinare volo: nihil laboro, nisi ut salvus sis. Sic habeto, mi Tiro, néminem esse, qui me amet, quin idem te amet, et cùm tua, et mea máximé interest te valere, tum multis est curæ. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti. Nunc te nihil impedit:

omnia depone, corpore servi. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale, et salve. Lepta tibi salutem dicit, et omnes. Vale.

10

Volviendo a Roma de Cilicia Cicerón, dejó enfermo en Patras a Tiron, y le ruega cuide de su salud.

TULLIUS ET CICERO FILIUS ET Q. S. D. TIRONI HUMANISSIMO  
ET OPTIMO

Vide, quanta in te sit suávitatis: duas horas Thyrei fuimus. Xenómenes hospes tam te diligit, quam si vixerit teo. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares; videbis quid Curio, quid Lysoni, quid Medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere; quem, quum meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi unas litteras Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Póteris igitur, et facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus rectè litteras dare possis, qui ad me libenter pérferant. Equidem Patras euntem néminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo: nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. Malo te pauló post valentem, quam statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale.

---

# Extractos de la Guerra Catilina

ESCRITA POR EL HISTORIADOR

**CAYO CRISPO SALUSTIO**

1

Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere; ibique juventutem suam exercuit: Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris supra quam cuiquam credibile est; animus audax, subdolos, varius, cujus rei libet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum; vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc, post dominationem L. Sullæ, libido maxûma invaserat reip. capiundæ; neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi, habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quæ utraque his artibus auxerat quas supra memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere, ac paucis instituta majorum domi militiæque, quomodo rempublicam habuerint quantamque reliquerint, et ut paulatim immutata, ex pulcherruma et optuma pessuma ac flagitiosissima facta sit, disserere.

2

Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Aenea duce profugi, sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solum. Hi, postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint; sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera, satsique po-

Illens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello tentare; pauci ex amicis auxilio esse: nam ceteri, metu percussis, longe a periculis aberant. At Romani, domi militiæque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam, parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipub. consultabant: hi, vel ætate vel curæ similitudine, patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipub. fuerat, in superbiam dominationemque convertit, inmutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere: eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

3

Sed ea tempestate cœpere se quisque magis extollere, magisque ingenium in promptu habere: nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit. Tanta cupido gloriæ incesserat! Jam primum juvenus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis libidinem habebat. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullum asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat. Se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem quibus in locis maxumas hostium

copias populus Rom. parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando receperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

4

Igitur domi militiæque boni mores colebantur Concordia maxuma, minuma avaritia erat; jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat; iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant; civis cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant; duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo: quod in bello sæpius vindicatum est in eos qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsati loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium, agitabant; et accepta injuria, ignoscere quam persequi malebant.

5

Sed ubi labore atque justitia resp. crevit, regis magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti, Carthago, æmula imperii romani, a stirpe interit, cuncta maria terræque patebant, fortuna sævire ac miscere omnia cœpit: qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseræque fuere. Igitur primo pecuniæ dein imperii cupidus crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere: namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit; ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstumare; magisque vultum quam inge-



nium bonum habere: hæc primo paulatim crescere. interdum vindicari. Post, ubi contagio quasi pestilentia, invasit, civitas inmutata; imperium, ex justissimo atque optumo, crudele intolerandumque factum.

6

Postquam divitiæ honori esse cœperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, amicitiam, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa deorum quæ nostri majores, religioissimi mortales, fecere; verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quidquam præter injuriæ licentiam eripiebant; at hi contra, ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

7

Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum virgine nobili cum sacerdote Vestæ, et alia hujusmodi contra jus fasque: postremo captus amore Aureliæ Orestillæ, cujus præter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta ætate, pro certo creditur, necato filio, vacuum domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi; namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vexabat. Igitur colos ei exsanguis, fœdi oculi; citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

Sed juventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat: ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat; si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilominus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod æs alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius usi, rapinarum et victoriæ veteris, memores, civile bellum exoptabant, opprimundæ reipub consilium cepit. In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petundi magna spes; senatus nihil sane intentus; tutæ tranquillæque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinæ erant.

---

EXTRACTO DE LOS COMENTARIOS  
DE  
CAYO JULIO CÉSAR  
SOBRE LA GUERRA CIVIL

---

LIBRO III

I

Describe el lugar de las fortificaciones. Los Pompeyanos acometen a los Cesarianos y los ponen en fuga.—Marcelino envía en su auxilio las cohortes, aunque inútilmente.—Muere el abanderado en este combate.—M. Antonio oprime a los Pompeyanos, próximos ya al campamento de Marcelino.—César pone sus reales junto a los de Pompeyo.

Erat in eo loco fossa pedum quindecim, et vallus contra hostem in altitudinem pedum decem, tantumdemque ejus valli ager in latitudinem patebat. Ab eo, intermisso spatium pedum sexcentorum, alter conversus in contrariam partem erat vallus, humiliore paulo munitione. Hoc enim superioribus diebus timens Cæsar, ne nāvibus nostri circumvenirentur, duplicem eo loco fecerat vallum; ut, si ancipiti prælio dimicaretur, posset resisti. Sed operum magnitudo, et cōtinent omnium dierum labor. quòd millia passuum in circuitu duodeviginti munitione erat complexus, perficiendi spatium non dabat. Itaque contra mare transversum vallum, qui has duas munitiones contingeret, nondum perfecerat. Quæ res nota erat Pompejo, delata per Allobroges pèrfugas; magnumque nostris attulerat incommodum. Nam, ut ad mare nostræ cohortes nonæ legionis excubuerant, accesere súbito prima luce Pompejanus exércitus; novusque eorum adventus exstitit, simulque navibus circumvecti

milites in exteriorem vallum tela jaciebant, fossæque âge-  
re complebantur; et legionarii, interioris munitionis defen-  
sores, scalis admotis, tormentisque cujusque géneris, telis-  
que terrebant, magnaque multitudo sagittariorum ab utra-  
que parte circumfundebatur. Multùm autem ab ictu lápi-  
dum, quod unum nostris erat telum, viminea tegumenta  
galeis impòsita defendebant. Itaque, cùm omnibus rebus  
nostri premerentur, atque ægrè resisterent, animadversum  
est vitium munitionis, quod supra demonstratum est: atque  
inter duos vallos, quà perfectum opus non erat, per mare  
návibus expòsiti in aversos nostros impetum fecerunt,  
atque ex utraque munitione dejectos terga vetere cœge-  
runt. Hoc tumultu nuntiato, Marcellinus cohortes subsi-  
dio nostris laborantibus summisit; quæ ex castris fugientes  
conspicatæ, neque illos suo adventu confirmare potuerunt,  
neque ipsæ hostium impetum tulerunt. Itaque, quodcumque  
addebatur subsidio, in corruptum timore fugientium, ter-  
rorem et periculum augebat: hóminum enim multitudine  
receptus impediabatur.

In eo prælio, cùm gravi vúlnerè esset affectus Aquili-  
fer et viribus deficeret, conspicatus équités nostros: «Hanc  
ego, inquit, et vivus multos per annos magna diligentia  
defendi, et nunc moriens eadem fide Cæsari restituo. Noli-  
te, obsecro, committerè, quod ante in exércitu Cæsaris  
non áccidit. ut rei militaris dedecus admittatur, incolumem-  
que ad eum referte.» Hoc casu aquila conservatur, ómni-  
bus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter prin-  
cipem priorem. Jamque Pompejani magna cæde nostrorum  
castris Marcellini appropinquabant, non mediocri terrore  
illato reliquis cohortibus: et M. Antonius, qui proximum  
locum tenebat præsidii, ea re nuntiata, cum cohorti-  
bus duodenis descendens ex loco superiore cernebatur. Cu-  
jus adventus Pompejanos compressit, nostrosque firmavit,  
ut se ex máximo timore colligerent. Neque multò post Cæ-  
sar, significatione per castella fumo facta, ut erat superio-  
ris témporis consuetudo, deductis quibusdam cohortibus et

præsiidiis, eodem venit. Qui, cõgnito detrimento, quum animadvertisset Pompejum extra munitiones egressum, castra secundum mare, ut liberè pabulari posset, nec minus áditum návibus habere, commutata rationi belli, quoniam propositum non tenuerat, juxta Pompejum muniri jussit. Qua perfecta munitione, animadversum est a speculatoribus Cæsaris, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post silvam, et in vétera castra duci.

## II

Descripción del lugar en que estaba el campamento de Pompeyo.— César ataca con sus tropas a la legión pompeyana, y queda vencida.—El ejército pompeyano resiste a los cesarianos; número de los muertos.— Pompeyo es llamado Imperator; sus soldados afirman que no a la fortuna, sino a su valor, debían la victoria que habían conseguido.

Castrorum hic situs erat. Superiõribus diebus, cum se nona legio Cæsaris objecisset Pompejanis copüs, atque opera, ut demonstravimus, circummuniret, castra eo loco posuit. Hæc silvam quamdam contingebant, neque longiüs a mari passibus quadringentis aberant. Post, mutato consilio quibusdam de causis, Cæsar paulo ultra eum locum castra transtulit, paucisque intermissis diebus, hæc eadem Pompejus occupaverat: et quõd eo loco plures erat legiones habiturus, relicto interiore vallo, majorem adjécerat munitionem. Ita minora castra, inclusa majõribus, castelli atque arcis locum obtinebant. Item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat circiter passus quadringentos, quõd liberiüs, ac sine periculo milites aquarentur. Sed is quoque, mutato consilio quibusdam de causis, quas commemorari necesse non est, eo loco excesse- rat. Ita complures dies manserant castra: munitiones quidem integræ omnes erant. Eo signo legionis illato, speculatores Cæsaris renuntiaverunt: hoc idem visum ex superiõtibus quibusdam castellis confirmaverant. Is locus aberat a novis Pompeii castris circiter passus quingentos. Hanc legionem sperans Cæsar se oprimere posset et cupiens ejus

diei detrimentum sarcire, reliquit in opere cohortes duas, quæ speciem munitionis præberent; ipse, diverso itinere, quam potuit occultissimè, reliquas cohortes, número tres et triginta, in quibus erat legio nona, multis amissis Centuriónibus, diminutoque militum número, ad legionem Pompeii, castraque minora duplici acie duxit: neque eum prima opinio fefellit. Nam et pervenit prius, quàm Pompejus sentire posset; et tametsi erant munitiones castrorum magnæ, tamen sinistro cornu, ubi erat ipse, celériter aggressus, Pompeianos ex vallo deturbavit. Erat objectus portis ericius. Hic paulisper est pugnatum; cùm irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent, fortissimè T. Pulcione, cujus operà proditum exercitum C. Antonii demonstrávimus, e loco propugnante. Sed tamen nostri virtute vice-runt: excissoque ericio, primò in majora castra, post etiam in castellum, quod erat inclusum majòribus castris, irruerunt; et, quòd èo pulsa legio sese receperat, nonnullos ibi repugnantes interfecerunt.

Sed fortuna, quæ plurimum potest, cùm in reliquis rebus, tum præcipuè in bello, parvis momentis magnas rerum commutationes efficit, ut tum accidit. Munitionem, quam pertingere a castris ad flumen supra demonstravimus, dextri Cæsaris cornu cohortes, ignorantia loci sunt sequutæ, cùm portam quærerent, castrorumque eam munitionem esse arbitrarentur. Quod cùm esset animadversum conjunctam esse flumini, pròtinus his munióibus, defendente nullo, transcenderunt; omnisque noster equitatus eas cohortes est sequutus. Interim Pompeius, hac longa satis interjecta mora, et re nuntiata, quintam legionem ab opere deductam subsidio suis duxit: eodemque tèmpace equitatus ejus nostris equitibus appropinquabat, et acies instructa a nostris, qui castra occupaverant, cernebatur; omniaque sunt súbitu mutata. Pompejana enim legio celeris spe subsidii confirmata, ab decumana porta resistere conabatur, atque ultro in nostros impetum faciebat. Equitatus Cæsaris, quòd angusto itinere per aggeres ascendebat, rèceptui

suo timens, initium fugæ faciebat. Dextrum cornu, quod erat a sinistro seclusum, terrore èquitum animadverso, ne intra munitionem opprimeretur, ex parte, ex qua proruebat, sese recipiebat: ac plerique ex iis, ne in angustias inciderent, decem pedum munitionis sese in fossas præcipitabant: primisque oppressis, réliqui per horum corpora salutem sibi, atque éxitum pariebant. Sinistro cornu milites, cùm ex vallo Pompejum adesse, et suos fúgere cérnerent, veriti, ne angustis intercluderentur, cùm extra, et intus hostem haberent, eòdem, quò venerant, receptui consulebant: omniaque erant tumultus, timoris, fuga plena: adeo ut, cùm Cæsar signa fugientium manu deprehenderet, et consistere juberet, alii, dimissis equis, eundem cursum conficerent; alii ex metu etiam signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret.

His tantis malis hæc subsidia succurrebant, quò minùs omnis deleretur exércitus, quòd Pompeius, insidias timens credo, quòd hæc præter spem acciderant ejus, qui paulo ante ex castris fugientes suos conspexerat, munitiónibus appropinquare aliquandiù non audebat; equitesque ejus, augustis, portisque a Cæsaris militibus occupatis, ad insequendum tardabantur. Ita parvæ res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Munitiones enim a castris ad flumen perductæ, expugnatis jam castris Pompeii, propriam, et expeditam Cæsaris victoriam interpellaverunt: eadem res, celeritate insequentium tardata, nostris salutem attulit.

Duobus his unius diei præliis Cæsar desideravit milites nongentos et sexaginta; et notos équites Romanos Felginatem Tuticanum Gallum, Senatoris filium, C. Felginatem Placentia; A Granium Puteolis; M. Sacrativirum Capua; Tribunos militum, et Centuriones triginta. Sed horum omnium pars magna in fossis, munitiónibusque, et fluminis ripis oppressa, suorum terrore, ac fuga sine ullo vulnere interiit, signaque sunt militaria duo et triginta amissa. Pompeius eo prælio *Imperator* est appellatus. Hoc nomen

obtinuit, atque ita se postea salutari passus est; sed neque in litteris, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ prætulit. At Labienus, cùm ab eo impetravisset, ut sibi captivos tradi juberet, omnes productos, ostentationis, ut videbatur, causa, quò major perfugis fides haberetur, commilitones appellans, et magna verborum, contumelia interrogans, «*solerentne veterani milites fugere*» in omnium conspectu interficit. His rebus tantum fiduciæ, ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed vicisse jam sibi viderentur. Non illi paucitatem nostrorum militum, non iniquitatem loci, atque angustias, præoccupatis castris, et ancipitem terrorem intra, extraque mutationes, non abscissum in duas partes exercitum, cùm alter alteri auxilium ferre non posset, causæ fuisse cogitabant...

### III

César, después de haber arengado a sus soldados, excitándolos a pelear, envía el convoy a Apolonia; Pompeyo envía a los suyos en su seguimiento y se trabala allí la batalla.

Cæsar, a superioribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. Itaque uno tempore præsidiis omnibus deductis, et oppugnatione dimissa, coactoque in unum locum exercitu, concionem apud milites habuit; hortatusque est. «Ne ea, quæ accidissent, graviter ferrent; neve his rebus terrerentur, multisque secundis præliis unum adversum, et id mediocre, opponerent; habendam fortunæ gratiam, quòd Italiam sine aliquo vulture cepissent, quòd duas Hispanias, bellicosissimorum hominum peritissimis, atque exercitatissimis ducibus, paccavissent; quòd finitimas, frumentariasque provincias in potestate redigissent; denique recordari debere qua facilitate inter medias hostium classes, opletis non solum portibus, sed etiam littoribus, omnes incolumes essent transportati. Si non omnia céderent secunda, fortunam esse industria sublevandam; quod esset acceptum detrimenti, ejus juri po-



tius, quam suæ culpæ debere tribui; locum securum ad dimicandum dedisse: potitum esse se hostium castris, expulisse, ac superasse pugnantes: sed, sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna paratam jam, præsentemque victoriám interpellassent dandam ómnibus óperam, ut acceptum incómodum virtute sarciretur. Quod si esset factum, detrimentum, in bonum verterent, ut ad Georgoviam accidisset: atque, ii, qui ante dimicare timuissent, ultro se prælio offerrent.»

Hac habita concione, nonnullos signiferos ignominia notavit, ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incómodo dolor, tantumque studium infamiæ sarcientiæ, ut nemo aut Tribuni, aut Centurionis imperium desideraret: et sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores; simulque omnes arderent cupiditate pugnandi: cùm superioris etiam órdinis nonnulli, oratione permoti, manendum eo loco, et rem prælio committendam existimarent. Contra ea Cæsar, neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat, relictisque munitiónibus, magnoperè rei frumentariæ timebat. Itaque, nulla interposita mora, sauciorum modó, et ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit, ac conquiescere ante iter confectum vetuit. His una legio missa præsidio est. His explicitis rebus, duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit; parvoque spatio intermisso, ut et militare institutum servaretur, et ne citissima ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit; statimque egressus et novissimum agmen consequutus, celériter e conspectu castrorum discessit.

Neque vero Pompeius, cognito consilio ejus, moram ullam ad insequendum intulit; sed eadem spectans, si itinere impeditos, ac perterritos deprehendere posset, exercitum e castris eduxit, equitatumque præmisit ad novissimum agmem demorandum: neque consequi potuit, quòd multum

expedito itinere antecesserat Cæsar. Sed, cùm ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impeditis, consequutus equitatus novissimos prælio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosque antesignanos admisit quadringentos, qui tantùm profecere, ut equestri prælio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent; ipsi incolumes se ad agmen reciperent.

---

BIBLIOTECA  
DEL  
INSTITUTO PROVINCIAL  
SORIA

DISCURSO  
DE  
M. TULIO CICERÓN  
CONTRA CATILINA

---

I

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere consilia tua non sentis? constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

O tempora! o mores! Senatus hoc intelligit, consul videt, hic tamen vivit. Vivit? immo vero, etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus.

Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus P. Scipio Pontifex maximus Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reip., privatus interfecit; Catilinam vero, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo,



quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus enim senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicæ consilium neque auctoritas hujus ordinis: nos, dico aperte, consules desumus.

## II

Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspensiones C. Gracchus clarissimo patre natus; avis, majoribus: occissus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus permissa est respublica: num unum diem post ea L. Sartunium tribunum plebis et C. Servilium mors ac reipublicæ poena remorata est? At nos vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujuscemodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis; et vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

Cupio, patres conscripti, me esse clementem: cupio in tantis reipublicæ periculis non dissolutum videri; sed jam me ipsum inertiae nequitiaeque condemno. Castra sunt in Italia contra republicam in Etruriæ faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium intra mœnia, atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicæ molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero, credo, erit verendum mihi, ni non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc quod jam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor

ut faciam. Tum denique interficiam te, cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam non erit qui te defendere audeat, vives: et vives, ita ut nunc vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus ne commovere te contra rempublicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, specularuntur atque custodient.

Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest? si illustrantur; si erumpunt omnia? Muta jam istam mentem, mihi crede, obliviscere cædis atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quæ etiam tecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII Calendas Novembris dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI Calendas Novembris, C. Manlium audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu cædem te optimatum contulisse in ante diem V Calendas Novembris, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num inficiari potes, te illo ipso die, meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam nos potuisse, cum tu discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum te esse dicebas? Quid cum te Præneste Calendis ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres; sensistine illam coloniam meo jussu, meis praesidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam, planeque sentiam.

Recognosce tecum tandem illam superiorem noctem: jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam

te ad perniciem reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Leccæ domum: convenisse eodem complures ejusdem amentiaë scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? Convincam. si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuere.

¡O dii immortales! ¿ubinam gentium sumus? ¿quam reipublicam habemus? ¿in qua urbe vivimus? Hic, hic sunt, in nostro numero, P. C., in hoc orbis terræ sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo: et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina: distribuisti partes Italiaë: statuisti quo quemque proficisci placeret; delegisti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: confirmasti te ipsum jam esse exiturum: dixisti paululum tibi esse etiam tum moræ, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam cœtu vestro dimisso, comperi, domum meam majoribus præsidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras; cum illi ipsi venissent, quos ego jam multis viris ad me venturos id temporis esse prædixeram.

Quæ cum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: proficiscere. Nimum diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; sin minus, quam plurimos. Purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atque huic ipsi Jovi Statōri, antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem tamque infestam reipublicæ pestem toties

jam effugimus. Non est sæpius in uno homine salus summa periclitanda reipublicæ. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me præsidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio et copiis, nullo tumulto publice concitato. Denique quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti; quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate reipublicæ esse conjunctam. Nunc jam aperte rempublicam universam petis. Tempia deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem vocas.

---

EXTRACTO DE LA HISTORIA  
DE  
TITO LIVIO

---

I

Fœdere ic̄to, trigemini, sicut convenerant, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur, «deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tum arma, illorum intueri manus»; feroces et suoapte ingenio, et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quàm curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo, erecti, suspensique in minimè gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum, infestisque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt; nec his, nec aliis periculum suum, sed publicum imperium servitiumque obversatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsfecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et, neutrò inclinata spe, torpebat vox, spiritusque. Consertis deinde manibus cum jam non motus tantùm corporum, agitatioque anceps telorum, armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vices unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Fortè is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox: ergo, ut se-



gregaret pugnam eorum, capessit fugam; ita ratus sequuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis intervallis sequentes; unum haud procul ab sese abesse: in eum magno impetu rediit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, jam Horatius, cæso hoste, victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant militem suum; et ille defungi prælio festinat. Priùs itaque quàm alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Jamque æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant: alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori objicitur hosti: nec illud prælium fuit. Romanus exultans: «Duos, inquit, fratrum manibus dedi: tertium, causam belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo». Malè sustinenti arma, gladium supernè jugulo defigit: jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra exstant. quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam versùs, sed distantia locis, ut et pugnatum est.

## II

Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem viventem redditum sibi veteres milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamenta que intueri: deinde brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Numquam ingenium idem

ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilis fuit. Itaque haud facillè discerneres, utrùm imperatori, an exercitui carior esset. Neque Asdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenuè agendum esset; neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat; calor ac frigoris patientia par; cibi, potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum, somnique nec die, nec nocte discriminata tempora; id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum ea neque moli strato, neque silentio arcessita. Multi sæpè militari sagulo opertum, humijacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt. Vestibus nihil inter æquales excellens: arma atque equi conspiciebantur. Equitum, peditumque idem longè primus erat; princeps prælium inibat, ultimus, confecto prælio, excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Asdrubaie imperatore meruit, nulla re, quæ agenda, audendaque magno futuro duci esset, prætermissa. Cæterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoquè, ut patrem Amilcaren, deinde Asdrubalem cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit.....

### III

Annibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris urbem tripartito adgreditur. Angulus muri, erat in planiorem patentioremq, quàm cætera circa, vallem vergens: adversùs eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit, ita haudquaquam prosperè,

postquam ad effectum operis ventum est, cœptis succedebat. Et turris ingens imminebat; et murus, ut in suspecto loco, supra cæteræ modum altitudinis munitus erat: et Juventus delecta, ubi plurimum periculi ac laboris ostendebatur, ibi vi majori obsistebat. Ac primò missilibus submovere hostem; nec quidquam satis tutum munientibus pati. Deinde jam non pro mœnibus modò atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque ostium animus erat; quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant, cuàm Pœni. Ut verò Annibal ipse, dum murum incautiùs subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit; tanta circa fuga atque trepidatio fuit, ut non multum abesset quin opera ac vineæ desererentur. Obsidio deinde per paucos dies magis, quàm oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur: per quod tempus, ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaque acriùs de integro obortum est bellum; pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineæ cœptæ agi, admoverique aries. Abundabat multitudine hominum Pœnus; ad centum enim et quinquaginta millia habuisse in armis creditur. Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multimoda arte distineri cœpti sunt, et non sufficiebant; jam enim feriebantur arietibus muri: quassatæ quoquè multæ partes erant; una continentibus ruinis nudaverat urbem. Tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant: captum oppidum ea ruina crediderant Pœni, qua, velut si pariter utrosque murus texisset, ita utrinque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat, quales in oppugnationibus urbium, per occasionem partis alterius conseri solent; sed justæ acies, velut patenti campo, inter ruinas muri, tectaque urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat: Pœno cepisse jam se urbem, si paululùm adnitatur credente; Saguntinis pro nudata mœnibus patria corpora opponentibus; nec ullo pedem referente, ne relicto à se loco hostem immit-

teret. Itaque quò acriùs et confertim magis utrinque pug-  
nabatur, eò plures vulnerabantur, nullo inter arma corpo-  
raque vano intercidente telo. Falarica erat Saguntinis,  
missile telum, hastili oblongo, et cætera tereti, præterquam  
ad extremum, unde ferrum exstabat. Id, sicut in pilo, qua-  
dratum stuppa circumligabant, linebantque pice; ferrum  
autem tres in longum habebat pedes; ut cum armis transfi-  
gere corpus posset. Sed in maximè, etiam si hæsisset in  
scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod  
cum medium accessum mitteretur, conceptumque ipso motu  
multò majorem ignem ferret, arma ommitti cogebat, nu-  
dumque militem ad insequentes ictus præbebat. Cùm ergo  
diu anceps fuisset certamen, et Saguntinis, quia præter  
spem resisterent, crevissent animi; Pœnus, quia non vicis-  
set, pro victo esset; clamorem repentè oppidani tollunt,  
hostemque in ruinas muri expellunt. Inde impeditum trepi-  
dantemque exturbant: postremò fusum fugatumque in cas-  
tra redigunt.

---

EXTRACTOS DE LA HISTORIA  
DE  
ALEJANDRO MAGNO  
POR  
QUINTO CURCIO RUFO

---

I

Ordo autem agminis erat talis Ignis, quem ipsi sacrum, et æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti, et sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi. Hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur. Aureæ virgæ et albæ vestes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro, argentoque cæ-lata. Sequebatur et equitatus duodecim gentium, variis armis, et moribus. Proximi ibant, quos Persæ *Immortales* vocant, ad decem millia. Cultus opulentia barbaræ non alios magis honestabat. Illi, aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas; gemmis etiam adornatos. Exiguo intervallo, quos *cognatos Regis* appellant, decem et quinque millia hominum. Hæc verò turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quàm decoris armis conspicua erat. *Doryphori* vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum Regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur: utrumque currus latus deorum simulacra ex auro, argentoque expressa decorabant. Distinguebant internitentes gemmæ jugum, ex

quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Belli gerebat effigiem. Inter hæc auream aquilam, pinnas extendenti similem, sacraverant. Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium albo intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant; et zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat, cui ex gemma erat vagina, *Cidarim* Persæ Regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibant. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hasta argento exornatas, spicula auro præfixa gestabant. Dextera, lævaque Regem ducenti: ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi Regis quadringenti sequebantur. Intervallo deinde unius stadii, matrem Darii Sysigambim currus vehebat et in alio erat conjux. Turba feminarum Reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim inde, quas *Armamaxas* appellant, sequebantur. In his erant liberi Regis, et qui educabant eos, spadonumque grex, haud sanè illis gentibus vilis. Tum regiæ pellices trecentæ sexaginta vehebantur, et ipsæ regali cultu, ornatuque. Post quas pecuniam Regis sexcenti muli, et trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum, amicorumque conjuges huic agmini proximæ, lixarumque et calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogere agmen, leviter armati. Contra, si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat, equis, virisque, non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus. Agmen et stare paratum, et sequi, nec turbâ, nec sarcinis prægrave, intentum ad ducis non signum modò, sed etiam nutum: et castris locus, et exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit. Darius autem tantæ multitudinis Rex, loci, in quo pugnavit, angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

II

Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorumque viginti ferme millibus. In eodem Tymodes erat, Græcis peditibus mercede conductis triginta millibus præpositus. Hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedoniæ phalangi acies. In lævo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. Ipsum Regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum, assueta corporis custodiæ, et pedestris acies quadraginta millia sequebantur. Hyrcani deinde, Medique equites. His proximi cæterarum gentium equites dextra, lævaque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia jaculatorum, funditorumque antecedeabant. Quidquid in illis angustiis adiri poterat impleverant copiæ: cornuaque hinc a jugo, hinc a mari stabant. Uxorem, matremque Regis, et alium feminarum gregem in medium agmen acceperant.

Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit. Dextrum cornu Nicanor, Parmenionis filius, tuebatur: huic proximi stabant Cænos, et Perdiccas, et Meleager, et Ptolomæus, et Amyntas, sui quisque agminis duces. In lævo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio erant, sed Craterus Parmenioni parere jussus. Equites ab utroque cornu locati; dextrum Macedones, Thessalis adjunctis, lævum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque, et Cretenses ante agmen ibant, et ipsi leviter armati. At iis, qui præmissi a Dario jugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Græcia nuper advectos. Parmenioni autem præceperat, ut quantum posset, agmen ad mare extenderet, quò longiùs abesset à montibus, quos occupaverant barbari. At ille neque obstare venientibus, nec circumire prætergressos ausi,

funditorum maximè aspectu territi, profugerant. Eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne supernè incesseretur timuerat, præstitit. Triginta et duo armatorum ordines ibant. Neque enim latiùs extendi aciem patiebantur angustiaè. Paulatim deinde se laxare sinus montium, et majus spatium aperire cœperant; ita, ut non pedites solùm pluribus ordinibus incedere, sed etiam a lateribus circumfundi posset equitatus.

### III

Jam in conspectu, sed extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Persæ inconditum, et trucem sustulere clamorem. Redditur et à Macedonibus major, exercitus impar numero, sed jugis montium, vastisque saltibus repercussus. Quippe semper circumjecta nemora, petræque, quantamcumque acceperere vocem, multiplicato sono, referunt. Alexander ante prima signa ibat; idemtidem manu suos inhibens, ne impensius ob nimiam festinationem concitato spiritu capesserent prælium. Cumque agmini obequitaret, varia oratione, ut cujusque animis aptum era. milites alloquebatur: «Macedones tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam, atque ultima Orientis, non ipsius magis, quàm suoductu profectos inveteræ virtutis admonebat. Illos terrarum orbis liberatores; emensosque olim Herculis, et Liberi patris terminos, non Persis modò, sed etiam omnibus gentibus imposturos jugum. Macedonum Bactra. et Indos fore. Minima esse. quæ nunc intuerentur, sed omnia victoriæ parari. Non in præruptis petris Illyriorum, et Thraciæ saxis sterilem laborem fore: spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus. Totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse prope-lli. Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater invocabatur. Domitæque nuper Bœotiæ et urbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ species representabatur animis. Jam Granicum amnem, jam tot urbes aut expugnaas, aut in



»fidem acceptas, omniaque, quæ post tergum erant, strata,  
»et pedibus ipsorum subjecta memorabat.» Cum adierat  
Græcos, admonebat, «ab iis gentibus illata Cræciæ bella,  
»Dariï prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam, te-  
»rramque populantium, ut neque fontium baustum, nec so-  
»litos cibos relinquerent. Dedicata diis templa ruinis, et ig-  
»nibus esse deleta, urbes eorum expugnatas; fœdera huma-  
»ni, pïviniq̄ue juris violata, referebat. Illyrios verò, et Tra-  
»cas raptò vivere assuetos, aciem hostium, auro, purpu-  
»raque fulgentem, intueri jubebat, prædam non arma ges-  
»tantem. Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent;  
»aspera montium suorum juga, nudosque colles, et perpe-  
»tuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis, agrisque  
»mutarent.»

#### IV

Jam ad teli jactum pervenerat, cum Persarum equites  
ferociter in lævum cornu hostium investiti sunt. Quippe Da-  
rius equestri prætulo decernere optabat, phalangem Mace-  
donici exercitus robur esse conjectans. Jamque etiam dex-  
trum Alexandri cornu circuibatur. Quod ubi Macedo cons-  
pexit, duabus alis equitum ad jugum montis jussis subsis-  
tere, cæteros in medium belli discremen strenuè transfert.  
Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, præfectum  
eorum occultè circuire tergum suorum jubet, Parmenioni-  
que conjungi, et quod is imperasset, impigrè exequi. Jam-  
que ipsi in medium Persarum undique circumfusi, egregiè  
se tuebantur. Sed conserti et quasi cohærentes, tela vibra-  
re non poterant. Simul ut erant emissa, in eosdem concu-  
rrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hos-  
tem, plura in humum innoxia cadebat. Ergo cominus pug-  
nam coacti conserere, gladios impigrè stringunt. Tum ve-  
rò multum sanguinis fusum est. Duæ quippe acies ita co-  
hærebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora diri-  
gerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit. Collato



pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promovebant gradum, cum hostem prostraverant. Atillos novus excipiebat adversarius fatigatos; nec vulnerati (ut aliàs solent) acie poterant excedere, cum hostis instaret a fronte, a tergo sui urgerent.

---

# FÁBULAS DE FEDRO

---

## PRÓLOGO

Æsopus auctor, quam materiam reperit,  
Hanc ego polivi versibus senariis.  
Duplex libelli dos es est: quod risum movet,  
Et quod prudenti vitam consilio monet.  
Calumniari si quis autem voluerit  
Quod et urbores loquantur, non tantùm feræ,  
Fictis joculari nos meminerit fabulis.

## FÁBULA I

### EL LOBO Y EL CORDERO

Al malo nunca le faltan pretextos para vejar y oprimir a los demás

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant  
Siti compulsi: superior stabat lupus,  
Longèque inferior agnus. Tunc fauce improbà  
Latro incitatus, jurgii causam intulit.  
¿Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi  
Aquam bibenti?—Laniger contrà timens:  
¿Qui possum, quæso, facere quod quereris, lupe?  
A te decurrit ad meos haustus liquor.  
Repulsus ille veritatis viribus,  
Ante hos sex menses malè, ait, dixisti mihi.  
Respondit agnus: equidem natus non eram.  
Pater, hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.  
Atque ita correptum lacerat injusta nece.

Hæc propter illos scripta est homines fabula,  
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

II

LAS RANAS PIDIENDO REY

Más vale lo malo conocido, que lo bueno por conocer

Athenæ cùm florerent æquis legibus,  
Procax libertas civitatem miscuit,  
Frenumque solvit pristinum licentia.  
Hinc. conspiratis factionum partibus,  
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.

Huum tristem servitutem flerent Attici,  
Non quia crudelis ille; sed quoniam grave  
Omne insuctis onus, et cœpissent queri;  
Æsopus talem tum, fabellam retulit.

Ranæ, vagantes liberis paludibus,  
Clamore magno regem petiere à Jove,  
Qui dissolutos mores vi compesceret.  
Pater Deorum risit; atque illis dedit  
Parvum tigillum; missum quod subito vadi  
Motu, sonoque terruit pavidut genus.  
Hoc mersum limo cùm jaceret diutiùs,  
Fortè una tacitè profert stagno caput,  
Et explorato rege, cunctas evocat.  
Illæ, timore possito, certatim adnatant,  
Lignumque supra turba petulans insiliit:  
Quod cùm inquinassent omni contumelia,  
Alium rogantes regem misere ad Jovem;  
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.  
Tum missit illis Hydrum, qui dente aspero  
Corripere cœpi singulas: frustra necem  
Fugitant inertes; vocem præcludit metus.  
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,  
Afflictis ut succurrat. Tunc contra Deus:  
«Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum,  
»Malum perferte » *Vos quoque, o cives, ait,  
Hoc sustinete, majus ne veniat, malum.*

III

EL GRAJO SOBERBIO

Al que de ajeno se viste, en la calle le desnudan

Ne gloriari libeat alienis bonis,  
Suoque potiùs habiit vitam degere,  
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani graculus superbia,  
Pennas, pavoni quæ deciderant, sustulit,  
Seque exornavit; deinde contemnens suos,  
Formoso se pavonum immiscuit gregi.  
Illi impudenti pennas eripiunt avi,  
Fugantque rostris. Malè mulcatus graculus  
Redire mœrens cœpit ad proprium genus,  
A quo repulsæ tristem sustinuit notam.  
Tum quidam ex illis quos priùs despexerat:  
«Contentus nostris si fuisses sedibus,  
»Et quod natura dederat, voluisses pati.  
»Nec illam expertus esses contumeliam,  
»Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.»

IV

EL PERRO NADANDO CON UN PEDAZO DE CARNE

Quien todo lo quiere, todo lo pierde

Amittit meritiò proprium, qui alienum appetit.

Canis per flumen carnem dum ferret, natans,  
Lympharum in speculo vidi simulacrum suum,  
Aliamque prædam ab alio ferri putans,  
Eripere voluit: verùm decepta aviditas,  
Et, quem tenebat ore, demisit cibum,  
Nec, quem petebat, adèd potuit attingere.

V

LA VACA, LA CABRA, LA OVEJA Y EL LEÓN

Es peligrosa la sociedad con el poderoso

Numquam est fidelis cum potente societas:  
Testatur hæc fabella propositum meum.

Vacca, et capella, et patiens ovis injuriæ  
Socii fuere cum leone in saltibus.

Hi cùm cœpissent cervum vasti corporis,  
Sic est loquutus, partibus factis, leo:

«Ego primam tollo, nominor quia leo:

»Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:

»Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;

»Malo affigetur, si quis quartam tetigerit.»

Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

VI

LA ZORRA Y LA MASCARA

El hábito no hace al monje

Personam tragicam fortè vulpes viderat:

«¡O quanta species, inquit, cerebrum non habet!»...

Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam

Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

VII

EL LOBO Y LA GRULLA

Es peligroso hacer bien a los malos

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,

Bis peccat: primùm, quoniam indignos adjuvat;

Impunè deinde abire quia jam non potest.

Os devoratum fauce cùm hæreret lupi,  
Magno dolore victus, cœpit singulos  
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.  
Tandem persuasa est jurejurando gruis;  
Gulæque credens colli longitudinem,  
Periculosam fecit medicinam lupo.  
Pro quo cùm pactum flagitaret præmium:  
«Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput  
»Incolume abstuleris, et mercedem postules!»

### VIII

#### EL PAJARO Y LA LIEBRE

Es necedad dar consejos a otro y no mirar por sí

Sibi non cavere, et aliis consilium dare,  
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.  
Oppressum ab aquila, fletus edentem graves,  
Lerorem objurgabat passer: «¿Ubi pernicitas  
»Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?»...  
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,  
Questuque vano clamitantem interficit.  
Lepus semianibus mortis in solatium:  
»¡Qui modò securus nostra irridebas mala,  
»Simili querela fata deploras tua!»

### IX

#### UN LADRÓN QUE ROBABA UN ALTAR

A Dios no se oculta el malvado

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,  
Ipsumque compilavit ad lumen suum;  
Onustus qui sacrilegio cùm discéderet.  
Repentè vocem sancta misit Religio:  
Malorum quamvis ista fuerint múnera,

Mihique invisā, ut non offendar súbripi:  
Tamen, sceleste, spírítu culpam lues,  
Olim cùm adscriptus vénerit pœnæ dies.  
Sed ne ignis noster facinori præluceat.  
Per quem verendos excolit pietas deos.  
Veto esse tale lúminis commercium.  
Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,  
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.  
—Quot res contineat hoc argumentum útiles,  
Non explicabit alius, quàm qui rēperit.  
Significat primò, sæpe, quos ipse alueris,  
Tibi inveniri máximè contrarios.  
Secundò ostendit, scélera non irà Deum.  
Fatorum dicto, sed puniri témpore.  
Novissimè interdicit, ne cum maléfico  
Usum bonus consociet ullius rei.

X

UN LEÓN REINANTE

La sinceridad debe ser alabada

Utilius hómini nihil est, quàm rectè loqui.  
Probanda cunctis est quidem sententia:  
Sed ad perniciem solet agi sincéritas.  
—Cum se ferarum regem fecisset Leo,  
Et æquitatis vellet famam cónsequi,  
A pristina deflexit consuetúdine:  
Atque inter illas tenuit contentus cibo,  
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

XI

EL NAUFRAGIO DE SIMÓNÉDES

Nadie puede quitarnos las verdaderas riquezas

Homo doctus in se semper divitias habet.  
—Simónides, qui scripsit egregium melos,  
Quó paupertatem sustineret facilius.



Circumire cœpit urbes Asiæ nóbilissimas.  
Mercede pacta, laudem victorum canens.  
Hoc gènere quæstùs postquam lócuples factus est,  
Venire in patriam voluit cursu pelagio;  
(Erat autem natus, ut ajunt, in Ceo insula)  
Ascendit navem, quam tempestas hórrida,  
Simul et vetustas medio dissolvit mari.  
Hi zonas, illi res pretiosas cólligunt.  
Subsidium vitæ. Quidam curiosior;  
Simónide, tu ex ópibus nihil sumis tuis?  
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,  
Quia plures ónere degravati perierant.  
Prædones adsunt, rapiunt quod quisquis éxtulit;  
Nudos relinquunt. Forté Clazomene propé  
Anticua fuit urbs, quam petierunt náufragi.  
Hic litterarum quidam studio déditus,  
Simónides qui sæpe versus légerat,  
Eratque absentis admirator máximus,  
Sermone ab ipso cognitum, cupidissimé  
Ad se recepit; veste, nummis, familia  
Hóminem exornavit: cæteri tábulam suam  
Portant, rogantes victum; quos casu óbvius  
Simónides ut vidit: Dixi, inquit, mea  
Mecum esse cuncta. Vos quod rapuistis, periit.

### XIII

#### EL CALVO Y LA MOSCA

El que por su gusto peca, no merece perdón

Calvi momordit musca nudatum caput:  
Quam opprímere captans, álapam sibi duxit gravem;  
Tunc illa irridens: Punctum vólucris párvulæ  
Voluisti morte ulcisci: qui facies tibi,  
Injuríæ qui addideris contuméliam?  
Respondit: Mecum facilè redeo in gratiam,

Quia non fuisse mentem lædendi scio:  
Sed te contempti géneris ánimol improbum,  
Quæ delectaris bibere humanum sánguinem,  
Optem necare vel majore incómodo.  
—Hoc argumentum veniam mage dari docet,  
Qui casu peccat, quám consilio est nocens;  
Illum esse quamvis pœna dignum júdico.

---

# CAYO VALERIO CATULO

## EPIGRAMAS

### I

Dedicación de un bagel

Phaselus ille, quem videtis, hóspites,  
Ait fuisse navium celérrimus,  
Neque illius natantis impetum trabis  
Nequisse præterire, sive pálmulis  
Opus foret volare, sive linteo.  
Et hoc negat minacis Adriáticos  
Negare litus, insulasve Cycladas,  
Rhodumve nóbilem, horridamve Thraciam,  
Propóntida, trucemve Pónticum sinum;  
Ubi iste, post phaselus, antea fuit  
Comata silva: nam Cytorio in jugo  
Loquente sæpe sibilum édidit coma.  
Amasti Póntica, et Cytore búxifer.  
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima  
Ait phaselus: última ex origine  
Tuo stetisse dicit in cacúmine,  
Tuo imbuisse pálmulas in æquore,  
Et inde tot per impotentia freta  
Herum tulisse; læva, sive déxtera  
Vocar et aura, sive utrumque Júpter  
Simul secundus incidisset in pedem;  
Neque ulla vota litorálibus Diis  
Sibi esse facta, quum veniret a mari  
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.  
Sed hæc præs fuere: nunc recóndita  
Senet quiete, seque dédicat tibi,  
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

II

A Fábulo

Cænabis bene, mi Fábule, apud me  
Paucis, si tibi Di favent, diebus,  
Si tecum attúleris bonam atque magnam  
Cœnam; non sine....  
Et vino et sale, et ómnibus cachinnis.  
Hæc si, inquam, attúleris, venuste noster,  
Cœnabis bene: nam tui Catulli  
Plenus sácculus est aranearum.  
Sed contra accipies meros amores;  
Seu quid suavius elegantiúsve est,  
Nam unguentum dabo, quod meæ puellw  
Donarunt Véneres, Cupidinesque;  
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,  
Totum ut te faciant, Fabule, nasum.

III

A la muerte del pájaro de Lesbia

¡Lugete, o Veneres Cupidinesque,  
Et quantum est hominum venustiorum!  
¡Passer mortuus est meæ puellæ!  
¡Passer, deliciæ meæ puellæ  
Quem plus illa oculis suis amabat!  
Nam mellitus erat, suamque norat  
Ipsam tam benè, quàm puella matrem:  
Nec sese à gremio illius movebat,  
Sed circumsiliens modò huc, modo illuc,  
Ad solam dominam usque pipilabat.  
Qui nunc it per iter tenebricosum,  
Illuc, unde negant redire quemquam.  
At vobis malè sit, malæ tenebræ

Orci, quæ omnia bella devoratis;  
Tam bellum mihi passerem abstulistis.  
;O factum malè! o misselle passer,  
Tua nunc opera meæ puellæ  
Flendo turgiduli rubent ocelli!

IV

A Calvi Licinio

Ni te plus oculis meis amarem  
Jucundissime Calve, munere isto  
Odissem te odio Vatiniano.  
Nam ;quid feci ego, quidve sum loquutus,  
Cur me tot malè perderes poetis?  
Isti di mala multa dent clienti,  
Qui tantum tibi misit impiorum.  
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum  
Munus dat tibi Sulla litterator;  
Non est mi malè, sed benè, ac beatè,  
Quod non dispereunt tui labores,  
;Di magni, horribilem, et sacrum libellum,  
Quem tu scilicet ad tuum Catullum  
Misti, continuè ut die periret  
Saturnalibus optimo dierum!  
Non. non hoc tibi, salsè, sic abibit;  
Nam si luxerit, ad librariorum  
Curram scrinia: Cæsios, Aquinos,  
Suffenum, omnia colligam venena,  
Ac te his suppliciis remunerabor.  
;Vos hinc interea valetè, abite  
Illuc, unde malum pedem tulistis,  
Sæcli incommoda, pessimi poetæ! ....

V

A Furio

Furi, quoi neque servus est, neque arca  
Nec cimex, neque araneus, neque ignis;  
Verum est et pater, et noverca, quorum

Dentes vel silicem comesse possunt;  
Est pulchrè tibi cum tuo parente,  
Et cum conjuge lignea parentis.....  
Nec mirum: bene nam valetis omnes,  
Pulchrè concoquitis, nihil timetis,  
Non incendia, non graves ruinas,  
Non facta impia, non dolos veneni,  
Non casus alios periculorum.  
Atqui corpora sicciora cornu,  
Aut si quid magis aridum est, habetis  
Sole et frigore, et esuritione.  
¿Quare non tibi sit benè ac beatè?  
A te sudor abest, abest saliva,  
Mucusque et mala pituita nasi.  
Hæc tu commoda tam beata, Furi,  
Noli spernere, nec putare parvi;  
Et sestertia, quæ soles, precari  
Centum desine, nam sat es beatus.

## VI

### A la risa de Egnacio

Egnatius, quod candidos habet dentes,  
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est  
Subsellium; cum orator excitat fletum,  
Renidet ille: seu pii ad rogum filii  
Lugetur, orba cum flet unicum mater.  
Renidet ille: quid quid est, ubicumque est,  
Quodcumque agit, renidet: hunc habet morbum,  
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.  
Quare monendus es mihi, bone Egnati:  
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tibur,  
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,  
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,  
Aut Transpadanus, ut meos quoquè attingam,  
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes,  
Tamen renidere usquequaque te nollem;  
Nam risu inepto res ineptior nulla est.

# MARCO VALERIO MARCIAL

## EPIGRAMAS

### I

#### Al Anfiteatro de César

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;  
Assiduus jactet ne Babylona labor;  
Nec Triviæ templo molles laudentur honores;  
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens;  
Aere nec vacuo pendentia Mausolea  
Laudibus immodicis. Cares in astra ferant.  
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro;  
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

### II

#### A la mano de Escevola

Cùm peteret Regem decepta satellite dextra,  
Injecit sacris se peritura focis.  
Sed tan sæva pius miracula non tulit hostis,  
Et raptum flammis jussit abire virum.  
Urere quam potuit contempto Mutius igne,  
Hanc spectare manum Porsena non potuit.  
Major deceptæ fama est, et gloria dextræ:  
Si non errasset, fecerat illa minus.

### III

#### A una desdentada

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes:  
exspuit una duos tussis, et una duos.  
Jam securo potes totis tussire diebus;  
nil istuc, quod agat, tertia tussis habet.

IV

A Liciniano

Vir Celtiberis non tacende gentibus,  
Nostræque laus Hispaniæ,  
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim  
Aquis et armis nobilem,  
Sterilemque Caunum nivibus, effractis sacrum  
Vadaveronem montibus,  
Et delicati dulce Botrodi nemus,  
Pomona quod felix amat.  
Tepidum natabis lené Congedi vœ dum  
Mollesque nimpharum lacus,  
Quibus remissum corpus adstringas brevi  
Salone, qui ferrum gelat.  
Prætabit illic ipsa figendas prope  
Boberca prendenti feras.  
Æstus serenos aureo frangēs Tago,  
Obscurus umbris arborum.  
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,  
Et Nemea, quæ vincit nives.  
At cum Becember canus, et bruma impotens  
Aquilone rauco mugiet,  
Aprica repetes Tarraconis litora,  
Tuamque Laletaniam.  
Ibi illigatas mollibus damas plagis  
Mactabis, et vernas apros,  
Leporemque forti callidum rumpes equo;  
Cervos relinques villico.  
Vicina in ipsum sylva descendet focum  
Infante cinctum sordido  
Vocabitur venator, et veniet tibi  
Conviva clamatus prope.  
Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,  
Olidæque vestes murice.



Procul horridus Liburnus, et querulus cliens;  
Imperia viduarum procul.  
Non rumpet altum pallidus somnum reus,  
Sed mane totum dormies;  
Mercetur alius grande, et insanum sophos:  
Miserere tu feliciū;  
Veroque fruire non superbus gaudio,  
Dum Sura laudatur tuus.  
Non imprudenter vita, quod reliquum est, petit.  
Cūm fama, quod satis est, habet.

---

BIBLIOTECA  
DEL  
INSTITUTO PROVINCIAL  
SORIA

# ALBIO TIBULO

## ELEGIA

A Cerinto

Dicamus bona verba, venit Natalis ad aras;  
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.  
Urantur pia thura focis, urantur odores,  
Quos tener e terra divite mittit Arabs.  
Ipse suos Genius adsit visurus honores;  
Cui dècorent sanctas mollia sarta comas.  
Illius puro destillent tèmpora nardo  
Atque satur libo sit, madeatque mero.  
Adnuat et, Cerinthe, tibi quodcumque rogabis,  
En age, quid cessas? Adnuet ille: roga.  
Auguror, uxoris fidos optabis amores;  
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.  
Nec tibi malueris, totum quæcumque per orbem  
Fortis arat vâldo rústicus arva bove:  
Nec tibi, gemmarum quidquid felícibus Indis  
Nâscitur, Eoi qua maris unda rubet:  
Vota cadunt. Vident' ut trepidântibus advolet alis,  
Flavaque conjugio vîncula portet Amor?  
Vîncula, quæ maneant semper, dum tarda senectus  
Indicat rugas, inficiatque comas.  
Hic veniat natalis avis, prolemque ministret;  
Ludat et ante tuos turba novella pedes

## ELEGIA

Contra la guerra

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?  
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!  
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata.

Tunc brevior diræ mortis aperta via est.  
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra  
vertimus, in sævas quod dedit ille feras.  
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,  
faginus abstabat cum scyphus ante dapes;  
non arces, non vallus erat, somnumque petebat  
securus varias dux gregis inter oves.  
Tunc mihi vita foret dulcis nec trista nossem  
arma, nec audissem corde micante tubam.  
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis  
hæsura in nostro tela gerit latere.  
Sed patrii servate Lares; aluistis et idem,  
cursarem vestros cum tener ante pedes;  
neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:  
Sic veteris sedes incoluistis avi.  
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu  
stabat in exigua ligneus æde deus.  
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,  
seu dederat sanctæ spicea sarta comæ  
Atque aliquis, voti compos, liba ipse ferebat,  
postque comes purum filia parva favum.  
At nobis ærata, Lares, depellite tela...  
hostiaque e plena rustica porcus hara.  
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra  
vincta geram. myrto vinctus et ipse caput.  
Sic placeam vobis; alius sit fortis in armis,  
sternat et adversos Marte favente duces,  
ut mihi potanti possit sua dicere facta  
miles, et in mensa pingere castra mero.  
Quis furor est atram bellis accessere mortem?  
Imminet, et tacito clam venit illa pede.  
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax,  
Cerberus, et Stygiæ navita turpis aquæ  
Illic perscissisque genis ustoque capillo,  
errat ad obscuros pallida turba lacus.  
Quam potius laudandus hic est, quem, prole parata,  
occupat in parva pigra senecta casa!



Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,  
et calidam fesso comparat uxor aquam  
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,  
temporis et prisci facta referre senem.  
Interea Pax arva colat Pax candida primum  
duxit aratores sub juga curva boves.  
Pax aluit vites, et succos condidit uvæ  
funderet ut nato testa paterna merum  
Pace bidens vomerqùe vigent; at tristia duri  
militis in tenebris occupat arma situs.

---

# PUBLIO OVIDIO NASÓN

## LIBRO IV DE LOS TRISTES

### ELEGÍA X

Ille ego, qui fueram tenerorum lusor amorum,  
Quem legis, ut noris, accipe postéritas  
Sulmo mihi patria est, gélidis ubérrimus undis,  
Millia qui novies distat ab urbe decem.  
Editus hic ego sum: necnon, ut témpora noris  
Quum cecidit fato consul uterque pari:  
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres;  
Non modò fortunæ múnere factus eques.  
Nec stirps prima fui: génito sum fratre creatus,  
Qui tribus ante quater ménsibus ortus erat.  
Lucifer amborum natálibus adfuit idem:  
Una celebrata est per duo liba dies.  
Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ,  
Quæ fieri pugna prima cruenta solet  
Protinus excólimur teneri, curaque parentis  
Imus ad insignes Urbis ab arte viros  
Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo;  
Fortia verbosi natus ad arma fori.  
At mihi jam puero cœlestia sacra placebant,  
Inque suum furtim Musa trahebat opus.  
Sæpe pater dixit: Studium quid inútile tentas?  
Mæonides nullas ipse reliquit opes.  
Motus eram dictis; totoque Helicone relicto,  
Scribere conabar verba soluta modis.  
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,  
Et, quod tentabam scribere, versus erat.  
Interea tácito passu labéntibus annis,

Liberior fratri sumpta mihiq̄ue toga est:  
Induiturq̄ue hūmeros cum lato pūrpura clavo:  
Et studium nobis, quod fuit ante, manet  
Jamque decem vitæ frater gemināverat annos,  
Cūm perit: et cœpi parte carere mei.  
Cēpimus et teneræ primos ætatis honores.  
Deque viris quondam par tribus una fui  
Curia restabat: clavi mensura coacta est:  
Majus erat nostris viribus illud onus  
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori.  
Sollicitæque fugax ambitionis eram:  
Et pētere Aoniæ suadebant tuta Sorores  
Otia, judicio semper amata meo  
Tēmporis illius colui fovique poetas,  
Quotque áderant vates, rebar adesse deos.  
Sæpe suas vòlucres legit mihi grandior ævo.  
Quæque necet serpens, quæ juvat herba, Macer  
Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes;  
Jure sodalitiū qui mihi junctus erat.  
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus jambo,  
Dulcia convictus membra fuere mei  
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures;  
Dum ferit Ausonia cārmina culta lyra.  
Virgilium vidi tantūm; nec avara Tibullo  
Tempus amicitiaē fata dedere meæ.  
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi:  
Quartus ab hic serie tēmporis ipse fui.  
Utque ego majores, sic me coluere minores:  
Notaque non tardè iacta Thalia mea est.  
Cārmina cūm primūm pòpulo juvenilia legi,  
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.  
Mòverat ingenium totam cantata per Urbem  
Nómīne non vero dicta Corinna mihi.  
Multa quidem scripsi: sed quæ vitiosa putavi,  
Emendaturis ignibus ipse dedi.  
Tum quoque, quum fūgerem, quædam placitura cemavi,  
Iratu studio carminibusque meis.

Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis  
Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.  
Quum tamen hoc essem, minimoque accénderer igne,  
Nómine sub nostro fábula nulla fuit.  
Pæne mihi puero, nec digna, nec útiles uxor  
Est data; quæ tempus perbreve nupta fuit.  
Illi successit, quamvis sine crimine conjux,  
Non tamen in nostro firma futura toro.  
Ultima quæ mecum seros permansit in annos,  
Sustinuit conjux èxulis esse viri.  
Filia me prima me bis fœcunda juventa,  
Sed non ex uno cõnjuge fecit avum.  
Et jam compleverat gènitor sua fata, novemque  
Addiderat lustris áltera lustra novem:  
Non áliter flevi, quám me fleturus ademptum  
Ille fuit: matris pròxima busta tuli.  
Felices ambo tempestivèque sepulti,  
Ante diem pænæ quòd periere meæ!  
Me quoque felicem, quòd non vivéntibus illis  
Sum miser, et de me quòd doluere nihil!  
Si tamen extinctis aliquid, nisi nómina, restat,  
Et gracilis structos effugit umbra rogos,  
Fama, parentales, si vos mea contigit, umbræ,  
Et sunt in stigiò crimina nostra foro,  
Scite, præcor, causam (nec vos mihi fállere fas est)  
Errorem jussæ non scelus esse fugæ.  
Mánibus id satis est: ad vos, studiosa revertor  
Péctora, quæ vitæ quæritis acta meæ  
Jam mihi canities, pulsus melióribus annis,  
Vénerat, antiquas miscueratque comas;  
Postque meos ortus Pisea vinctus oliva,  
Abstúlerat decies præmia victor eques:  
Quum, maris Euxini positos ad læva, Tomitas  
Quærere me læsi Príncipis ira jubet.  
Causa meæ cunctis, nimiùm quoque nota, ruinæ  
Indicio non est testificanda meo.

Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes?  
Ipsaque multa tuli non leviora fuga  
Indignata malis mens est succumbere; seque  
Præstitit invictam viribus usa suis;  
Oblitusque togæ, ductæque per otia vitæ,  
Insolita cepi temporis arma manu.  
Totque tuli terra casus pelagoque, quod inter  
Occultum stellæ conspicuumque polum.  
Tacta mihi tandem, longis erroribus acto,  
Juncta pharetratis Sarmatis, ora Getis.  
Hic ego, finitimis quamvis circumsonor armis,  
Tristia, quo possum carmine, fata levo.  
Quod quamvis nemo est, cujus referatur ad aures,  
Sic tamen absumo decipioque diem.  
Ergo quod vivo, durisque laboribus obsto,  
Nec me sollicitæ tædia lucis habent;  
Gratia, Musa, tibi; nam tu solatia præbes,  
Tu curæ requies, tu medicina mali:  
Tu dux, tuque comes: tu nos abducis ab Istro,  
In medioque mihi das Helicone locum.  
Tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti  
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet.  
Nec, qui detractat præsentia livor, iniquo  
Ullum de nostris dente momordit opus,  
Nam tulerint magnos quum sæcula nostra poetas,  
Non fuit ingenio Fama maligna meo.  
Quumque ego præponam multos mihi, non minor illis  
Dicor, et in toto plurimus orbe legor.  
Si quid habent igitur vatum præsentia veri,  
Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.  
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,  
Jure tibi grates, candidè lector, ago.

---



## DE LOS FASTOS

### LIBRO VI

Témpora labuntur, tacitisque senéscimus annis:

Et fugiunt fræno non remorante dies,

Quàm citò venerunt Fortunæ fortis honores.

Post septem luces Junius actus erit.

¡Ite, Deam læti fortem celebrate, Quirites:

In Tiberis ripa múnera Regis habet.

Pars pede, pars etiam céleri docúrrite cymba:

Nec pudeat potos inde redire domum.

Ferte coronatæ júvenum convivia lintres,

Multaque per medias vina bibantur aquas.

Plebs colit hanc; quia qui posuit, de plebe fuisse

Fertur, et ex hùmili sceptrá tulisse loco.

Convenit et servis: serva quia Tulíus ortus

Constituit dubiæ templá propinqua deæ.

Ecce suburbana rediens malé sobrius æde,

Ad stellas aliquis talia verba jacit.

Zona latet tua nunc, et cras fortassé latebit:

Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.

At si non esset potus, dixisset, eadem

Venturum tempus solstitiale die

Lucifero subeunte, Lares delubra tulerunt,

Hic ubi fit docta multa corona manu.

### ELEGÍA

Pinta la desolación de su familia en aquella triste noche en que por disposición de César salló desterrado de Roma para el Ponto Euxino

Cum subit illius tristissima noctis imago,

quæ mihi supremum tempus in Urbe fuit:

Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,

labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.



Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar  
finibus extremæ jusserat Ausoniæ.  
Nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:  
torpuerant longa pectora nostra mora.  
Non mihi servorum, comitis non cura legendi:  
Non aptæ profugo vestis opisve fuit.  
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus  
vivit, et est vitæ nescius ipse suæ  
Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,  
et tandem sensus convaluere mei;  
alloquor extremum mæstos abiturus amicos,  
qui modo de multis unus et alter erant.  
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat;  
imbre per indignas usque cadente genas.  
Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,  
nec poterat fati certior esse mei  
Quoquumque adspiceres, luctus gemitusque sonabant,  
formaque non taciti funeris intus erat  
Femina virque meo, pueri quoque, funere mœrent;  
inque domo lacrimas angulus omnis habet.  
Si licet exemplis in parvo grandibus uti,  
hæc facies Troiæ, cum caperetur, erat.  
Jamque quiescebant voces hominumque canumque;  
lunaque nocturnos alta regebat equos.  
Hanc ego suspiciens, et ad hanc Capitolia cernens,  
quæ nostro frustra juncta fuere Lari:  
•Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,  
jamque oculis nunquam templa videnda meis;  
Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,  
este salutati tempus in omne mihi  
Et quamquam sero clypeum post vulnera sumo,  
attamen hanc odiis exonerate fugam;  
cælestique viro, quis me deceperit error,  
dicite; pro culpa ne scelus esse putet.  
Ut, quæ sentitis, pœnæ quoque sentiat auctor,  
placato possim non miser esse deo.»

Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor,  
singultu medios impediētes sonos.  
Illa etiā ante Lares passis postrata capillis  
contingit extinctos ore tremente focos:  
Multaque in aversos effudit verba Penates,  
pro deplorato non valitura viro  
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat  
versaue ab axe suo Parrhasis Arctos erat  
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore:  
Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.  
Ah! quoties aliquo dixi properante: «Quid urges?  
vel, quo festines ire, vel unde, vide.»  
Ah! quoties certam me sum mentitus habere  
horam, propositæ quæ foret apta viæ.  
Ter limen tetigi; ter sum revocatus: et ipse  
indulgens animo pes mihi tardus erat  
sæpe vale dicto, rursus sum multa loquutus;  
et quasi discedens oscula summa dedi:  
Sæpe eadem mandata dedi: meque ipse fefelli.  
respiciens oculis pignora cara meis.  
Denique: «Quid propero? Scythia est, quo mittimur, inquam.  
Roma relinquenda est: utraque justa mora est.  
Uxor in æternum vivo mihi viva negatur;  
et domus, et fidæ dulcia membra domus;  
Quosque ego dilexi fraterno more sodales,  
O mihi Thesea pectora juncta fide!  
Dum licet, amplectar; nunquam fortasse licebit  
amplius. In lucro est, quæ datur hora, mihi.»  
Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo,  
complectens animo proxima quæque meo.  
Dum loquor et flemus, cælo nitidissimus alto,  
stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.  
Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam:  
Et pars abrumpi corpore visa suo est.  
Sic doluit Metius, tunc cum in contraria versos  
ultores habuit proditiōnis equos.

Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum;  
et feriunt mæstæ pectora nuda manus.  
Tum vero conjux humeris abeuntis inhaerens  
miscuit hæc lacrimis tristia dicta meis:  
«Non potes avelli: simul hinc, simul ibimus ambo:  
te sequar; et conjux ex . . . lis exsul ero.  
Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus.  
Accedam profugæ sarcina parva rati.  
Te jubet a patria discedere Cæsaris ira;  
me pietas. Pietas hæc mihi Cæsar erit.»  
Talia tentabat: sic et tentaverat ante,  
vixque dedit victas utilitate manus.  
Egredior, sive illud erat sine funere ferri,  
squalidus immissis hirta per ora comis.  
Illa dolore amens tenebris narratur abortis  
semianimis media procubuisse domo;  
utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi  
crinibus, et gelida membra levavit humo;  
se modo, desertos modo deplorassee Penates,  
nomen et erepti sæpe vocasse viri;  
nec gemuisse minus, quam si natæve meumve  
vidisset structos corpus habere rogos;  
et voluisse mori, et moriendo ponere sensus,  
respectuque tamen non periisse mei  
Vivat, et absentem, quoniam sic fata tulerunt,  
vivat ut auxilio sublevet usque suo.

---

# PUBLIO VIRGILIO MARÓN

## ÉGLOGA IV

Polión

Sicelides Musæ, paulo majora canamus.  
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.  
Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.  
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:  
magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.  
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna:  
jam nova progenies cœlo demittitur alto.  
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.  
Teque adeo decus hoc ævi, te Consule, inibit,  
Pollio, et incipient magni procedere menses.  
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,  
irrita perpetua solvent formidine terras.  
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit  
permixtos heroas, et ipse videbitur illis;  
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.  
At tibi prima puer nullo munuscula cultu,  
errantes hederas passim cum bacchare tellus,  
mistaque ridenti colocasia fundet acantho.  
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ  
ubera: nec magnos metuent armenta leones.  
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,  
occidet et serpens, et fallax herba veneni  
occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.  
At simul heroum laudes, et facta parentis  
jam legere?, et quæ si poteris cognoscere virtus:  
molli paulatim flavescet campus arista,

incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
et duræ quercus sudabunt roscida mella.  
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,  
quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris  
oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.  
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo  
delectus heroas: erunt etiam altera bella,  
atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.  
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,  
cedet et ipse mari vector: nec nautica pinus  
mutabit merces: omnis feret omnia tellus.  
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:  
robustus quoque jam tauris juga solvet arator.  
Nec varios discet mentiri lana colores:  
ipse sed in pratis aries jam suave rubenti  
murice, jam croceo mutabit vellera luto:  
sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.  
Talia sæcla suis dixerunt currite fuis,  
concordes stabili fatorum numine Parcæ ..  
Aggredere, o magnos, aderit jam tempus honores,  
cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.  
Aspice convexo nutantem pondere mundum,  
terrasque, tractusque maris. cœlumque profundum:  
Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.  
O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ,  
spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!  
Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,  
nec Linus huic mater quamvis, atque huic pater adsit,  
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
Pan Deus Arcadia mecum si judice certet,  
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.  
Incipe. parve puer, risu cognoscere matrem:  
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
Incipe, parve puer, cui non risere parentes,  
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

## LA ENEIDA

### DEL LIBRO IV

Nox erat, et plàcidum carpebant fessa soporem  
Corpora per terras, sylvæque et sæva quierant  
Æquora: cùm medio volvuntur sidera lapsu:  
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,  
Quæque lacus latè liquidos, quæque áspera dumis  
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti  
Lenibant curas, et corda oblita laborum:  
At non infelix animi Phænisa: neque unquam  
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem  
Accipit: ingeminant curæ, rursusque resurgens  
Sævitur amor, magnoque irarum fluctuat æstu,  
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:  
En quid ago? rursus ne procos irrisa priores  
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex;  
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?  
Iliacas igitur classes atque última Teucrum  
Jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos.  
Et bene apud mémores veteris estat gratia facti?  
Quis me autem, fac velle, sinet? ratibusque superbis  
Irrisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum  
Laomedontæ sentis perjuriam gentis?  
Quid tum? Sola fuga nautas comitabor ovantes?  
An Tyriis, omnique manu stipata meorum  
Insequar? Et quos Sidonia vix urbe revelli,  
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?  
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem,  
Tu lacrymis evicta meis, tu primam furentem  
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.  
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam  
Degere more feræ, tales nec tângere curas?  
Non servata fides cineri promissa Sichæo.

Tantos illa suo rumpebat pectore questus.  
Æneas, celsa in puppi, jam certus eundi,  
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis  
Huic se forma Dei vultu redeuntis eodem  
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;  
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,  
Et crines flavos, et membra decora juventæ:  
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?  
Nec, quæ circumstent te deinde perícula, cernis  
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?  
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,  
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.  
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas?  
Jam mare turbari trabibus, sævasque videbis  
Collucere faces; jam fervere littora flammis;  
Si te his attigerit terris Aurora morantem.  
Eja, age, rumpe moras; varium et mutabile semper  
Fœmina. Sic fatus nocti se inmiscuit atræ,  
Tum veró Æneas, súbitis exterritus umbris,  
Corripit e somno corpus, sociosque fatigat;  
Præcipientes vigilate, viri, et considite transtris;  
Sólvite vela citi: Deus æthere missus ab alto,  
Festinare fugam, tortosque incidere funes  
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte Deorum;  
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes,  
Adsis o, placidusque juves, et sidera cælo  
Dextra feras. Dixit: vaginaque eripit ensem  
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro,  
Idem omnes simul ardor habet; rapiuntque ruuntque:  
Litora deseruere: latet sub classibus æquor;  
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.  
Et jam prima novo spargebat lumine terras  
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:  
Regina è speculis ut primùm albescere lucem  
Vidit, et æquatis classem procedere velis;  
Littoraque et vaquos sensit sine remige portus;



Terque quaterque manu pectus percussa decorum,  
Flaventesque abscissa comas. Proh Júpiter! ibit  
Hic, ait, et nostris illúserit advena regnis?  
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,  
Diripientque rates alii navalibus? ite:  
Ferte citi flammæ, date vela, impellite remos.  
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat?  
Infelix Didol! nunc te fata impía tangunt;  
Tum decuit, cùm sceptrâ dabas. En dextra fidesque!  
Quem secum patrios ajunt portare Penates,  
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.  
Non potui abreptum divellere corpus, et undis  
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro  
Ascanium, patriisque epulandum apponere mensis?  
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna, fuisset  
Quem metui moritura? faces in castra tulissem:  
Implessemque foros flammis: natumque patremque  
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.  
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras:  
Tuque harum interpretes curarum et conscia Juno:  
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes:  
Et diræ últrices, et dii morientis Elisæ  
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen:  
Et nostras audite preces. Si tangere portus  
Infandum caput, ac terris adnare necesse est:  
Et sic fata Jovis poscunt, hic términus hæret:  
At bello audacis pópuli vexatus et armis,  
Fínibus extorris, complexu avulsus Juli,  
Auxilium imploret, videatque indigna suorum  
Funera; nec, cùm se sub leges pacis iniquæ  
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur;  
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.  
Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo;  
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum  
Exercete odiis; cinerique hæc mittite nostro  
Munera; nullus amor populi, nec fœdera sunt,

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,  
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,  
Nunc, olim; quocumque dabunt se tēpore vires,  
Litora litoribus contraria, fluctibus undas  
Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotes,  
Hæc ait; et partes animum versabat in omnes,  
Invisam quærens quamprimùm abrumpere lucem.  
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi;  
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:  
Annam, chara, mihi, nutrix, huc siste sororem:  
Dic corpus properet fluviali spārgere lympha,  
Et pecudes secum et mostrata piacula ducat.  
Sic veniac, tuque ipsa pia tege tempora vitta.  
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incæpta paravi,  
Perficere est animus: finemque impōnere curis:  
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.  
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.  
At trepida et cæptis immanibus effera Dido,  
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes  
Interfusa genas, et pallida morte futura,  
Interiora domus irrumpit limina et altos  
Conscendit furibunda rogos, enseque recludit  
Dárdanum, non hos quæsitum munus in usus.  
Hic postquam Iliacas vestes notumque cubile  
Conspexit, paulum lacrymis et mente morata,  
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:  
Dulces exuviæ, dum fata Deusque sinebant:  
Accipite hanc animam, meque his exsolve curis.  
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna peregi:  
Et nunc magna mei sub terras ibit imago:  
Urbem præclaram statui; mea mœnia vidi:  
Ultra virum, pœnas inimico à fratre recepi:  
Felix, heu nimiùm felix! si litora tantùm  
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.  
Dixit, et, os impressa toro: moriemur inultæ?  
Sed moriamur, ait: sic, sic juvat ire sub umbras.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto  
Dardanus et nostræ secum ferat omina mortis.  
Dixerat: atque illam media inter talia ferro  
Collapsam accipiunt comites, ensemque cruore  
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta  
Atria, concussam bacchatur fama per urbem,  
Lamentis gemituque et fœmineo ululatu  
Tecta fremunt, resonat magnis plangóribus æther

## L A S G E Ó R G I C A S

---

### I

#### Elogio de Italia

Sed neque Medorum sylvæ: ditissima terra,  
nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,  
laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,  
totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.  
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem  
invertere, satis immanis dentibus hydri:  
nec galeis densisque virum seges horruit hastis:  
sed gravidæ fruges, et Bacchi Massicus humor  
implevere: tenent oleaque, armentaque læta.  
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.  
Hinc albi Clitumne greges, et maxima taurus  
victima, sæpe tuo perfusi fumine sacro,  
romanos ad templa Deum duxere triumphos.  
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus ætas:  
bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.  
At rabidæ tigres absunt, et sæva leonum  
semina: nec miseros fallunt aconita legentes:  
nec rapit immensos orbis per humum, neque tante  
squammeus in spiram tractu se colligit anguis.  
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,  
tot congesta manu præ ruptis oppida saxis,

fluminaque antiquos subter labentia muros.  
An mare quod supra, memorem, quodque aluit infra?  
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque  
fluctibus et fremitu assurgens Benace marino?  
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,  
atque indignatum magnis stridoribus æquor,  
Julia qua ponto longe sonat unda refuso,  
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?  
Hæc eadem argenti rivus ærisque metalla  
ostendit venis, atque auro plurima fluxit.  
Hæc genus acre virum, Marsos, pudemque Sabellam.  
assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos  
extulit: hæc Decios, Marios magnosque Camillos,  
Scipiadas duros bello; et te, maxime Cæsar,  
qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris  
imbellem avertis romanis arcibus Indum.  
Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,  
magna virum: tibi res antiquæ laudis et artes,  
ingredior, sanctos ausus recludere fontes;  
Ascræumque cano romana per oppida carmen.

## II

### La primavera

Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis:  
vere tument terræ; et genitalia semina postcunt.  
Tum pater Omnipotens fœcundis imbribus Æther  
conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes  
magnus alit, magno commistus corpore, fœtus.  
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,  
et Venerem certis repetunt armenta diebus.  
Parturit almus ager: Zephyrique tepentibus auris  
laxant arva sinus: superat tener omnibus humor:  
inque novos Soles audent se gramina tuto  
credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,  
aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:

sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.  
Non alios prima crescentis origine mundi  
illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem  
crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat  
orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri:  
quum primum lucem pecudes hauser e, virumque  
ferrea progenies duris caput extulit arvis,  
immissæque feræ silvis, et sidera cælo:  
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem:  
si non tanta quies iret, frigusque caloremque  
inter, et exciperet cæli indulgentia terras.

### III

#### Pintura de las delicias de la vida campestre

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,  
fundit humo facilem victum justissima tellus,  
si non ingentem foribus domus alta superbis  
mane salutantum totis vomit ædibus undam;  
nec varios inhiant pulchra testudine postes,  
illusasque auro vestes, Ephyriaque æra,  
alba nec Assyrio fucatur lana veneno,  
nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:  
at secura quies, et nescia fallere vita,  
dives opum variarum; at latis otia fundis.  
speluncæ, vivique lacus; et frigida Tempe,  
mugitusque boum, mollesque sub arbore somni  
non absunt. Illic saltus, ac lustra ferarum,  
et patiens operum parvoque assueta juvenus,  
sacra Deum, sanctique patres: extrema per illos  
justitia excedens terris vestigia fecit...

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,  
atque metus omnes et inexorabile fatum  
subjecit pedibus, stripitumque Acherontis avari!  
Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestes

Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores!  
Illum non populi fasces, non purpura regum  
flexit, et infidos agitans discordia fratres,  
aut conjurato descendens Dacus ab Istro;  
non res Romanæ, perituraque regna: neque ille  
aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.  
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura,  
sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea jura,  
insanumque forum, aut populi tabularia vidit.  
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque  
in ferrum; penetrant aulas et limina regum  
Hic petit excidiis urbem miserisque Penates,  
ut gemma vivat, et Sarrano dormiat ostro;  
condit opes alius, defossoque incubat auro.  
Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem  
per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque  
corripuit. Gaudent perfusi sanguine fratrum,  
exilioque domos et dulcia limina mutant,  
atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.  
Agricola incurvo terram dimovit aratro:  
hinc anni labor; hinc patriam, parvosque nepotes  
sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.  
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,  
aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,  
proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.  
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis:  
glande sues læti redeunt: dant arbuta sylvæ:  
et varios ponit fœtus autumnus, et alte  
mitis in apricis coquitur vindemia saxis.  
Interea dulces pendent circum oscula nati:  
casta pudicitiam servat domus: ubera vaccæ  
lactea demittunt, pinguesque in gramine læto  
inter se adversis luctantur cornibus hœdi  
Ipse dies agit festos: fususque per herbam,  
ignis ubi in medio et socii cratera coronant,  
te libans, Lenære, vocat, pecorisque magistris

velocis jaculi certamina ponit in ulmo:  
corporeaque agresti nudant prædura palestra.  
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini  
hanc Remus et frater: sic fortis Etruria crevit  
scilicet, et rerum facta est pulcherrima Roma;  
septemque una sibi muro circumdedit arces.  
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et ante  
impia quam cæsis gens est epulata juvencis,  
aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.  
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum  
impositos duris crepitare incudibus enses.  
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor,  
et jam tempus equum fumantia solvere colla.

#### IV

##### Descripción del caballo

Continuo pecoris generosi pullus in arvis  
altius ingreditur, et mollia crura reponit:  
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces  
audet, et ignoto sese committere ponti;  
nec vanos horret strepitus, Illi ardua cervix,  
argutumque caput, brevis alvus obessaque terga;  
luxuriatque toris animosum pectus. Honesti  
spadices glaucique; color deterrimus albis,  
et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,  
stare loco nescit, micat auribus, et tremuit artus,  
collectumque premens volvit sub naribus ignem,  
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo.  
At duplex agitur per lumbos spina: cavatque  
tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.  
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis  
Cyllarus et, quorum Graii meminere pœtæ,  
Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.  
Talis et ipse jubam cervice effudit equina  
conjugis adventu pernix Saturnus, et altum  
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

# QUINTO HORACIO FLACO

## ODAS ESCOGIDAS

### I

Sobre las delicias de la vida del campo

«Beatus ille, qui procal negotiis,  
ut prisca gens mortalium,  
paterna rura bobus exercet suis,  
solutus omni fenore,  
nec excitatur classico miles truci,  
nec horret iratum mare,  
forumque vitat es superba civium  
potentiorum limina.  
Ergo aut adulta vitium propagine  
altas maritat populos,  
aut, in reducta valle, mugientum  
prospectat errantes greges,  
inutilesque falce ramos amputans  
feliciores inserit;  
aut pressa puris mella condit amphoris;  
aut tondet infirmas oves;  
vel quum decorum mitibus pomis caput  
auctumnus agris extulit,  
ut gaudet insitiva decerpens pyra,  
certantem et uvam purpuræ  
qua muneretur te, Priape, et te, pater  
Silvane, tutor finium!  
Libet jacere modo sub antiqua ilice,  
modo in tenaci gramine  
labuntur altis interim ripis aquæ,  
querentur in silvis aves,



fontesque lymphis obstrepunt manantibus,  
somnos quod invitet leves.  
At quum tonantis annus hibernus Jovis  
imbres nivesque comparat,  
aut trudit acres hinc et hinc multa cane  
apros in obstantes plagas,  
aut amite levi rara tendit retia,  
turdibus edacibus dolos;  
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem.  
jucunda captat præmia.  
Quis non malarum, quas amor curas habet,  
hæc inter obliviscitur?  
Quod si pudica mulier in partem juret  
domum atque dulces liberos,  
Sabina qualis aut perusta solibus  
pernicis uxor Appuli,  
sacrum vetustis exsturat lignis focum  
lassi sub adventum viri,  
claudensque textis cratibus lætum pecus,  
distenta siccet ubera,  
et horna dulci vina promens dolio,  
dapes inemptas apparet:  
non me Lucrina juverint conchyliis  
magisve rhombus aut scari,  
si quos Eois intonata fluctibus  
hiems ad hoc vertat mare;  
non Afra avis descendat in ventrem meum,  
non attagen Ionicus  
jucundior, quam lecta de pinguissimis  
oliva ramis arborum  
aut herba laphati prata amantis et gravi  
malvæ salubres corpori  
vel agna festis cæsa Terminalibus  
vel hædus eruptus lupo.  
Has inter epulas ut juvat pastas oves  
videre properantes domum,

videre fessos vomerem inversum boves  
collo trahentes languido  
positosque vernas, ditis examen domus,  
circum renidentes Lares! »  
Hæc ubi locutus fenerator Alfius,  
jam jam futurus rusticus,  
omnem redegit Idibus pecuniam,  
quærit Kalendis ponere.

## II

### Elogio del vino

O nata mecum consule Manlio  
seu tu querelas sive geris jocos  
seu rixam et insanos amores  
seu facilem, pia testa, somnum;  
quocumque lectum nomine Massicum  
servas, moveri digna bono die,  
descende Corvino jubente  
promere languidiora vina.  
Non ille, quanquam Socraticis madet  
sermonibus, te negliget horridus:  
narratur et prisci Catonis  
sæpe mero caluisse virtus.  
Tu lene tormentum ingenio admoves  
plerumque duro; tu sapientium  
curas et arcanum jocosum  
consilium retegis Lyæo;  
tu spem reducis mentibus anxiiis,  
viresque et addis cornua pauperi  
post te nec iratos trementi  
regum apices neque militum arma.  
te Liber et, si læta aderit, Venus  
segnesque nodum solvere Gratiæ  
vivæque producent lucernæ,  
dum rediens fugat astra Phœbus.

III

A Crispo Salustio

Nullus argento color est avaris  
abdito terris, inimice lamnæ  
Crispe Sallusti, nisi temperato  
splendeat usu.

Vivet extento Proculeius ævo,  
notus in fratres animi paterni;  
illum aget penna metuente solvi  
fama superstes

Latius regnes avidum domando  
spiritum, quam si Libyam remotis  
Gadibus jungas et uterque Pœnus  
Serviat uni

Crescit indulgens sibi dirus hydrops  
nec sitim pellit, nisi causa morbi  
fugerit venis et aquosus albo  
corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraaten  
desidens plebi numero beatorum  
eximit Virtus populumque falsis  
Dedocet uti.

Vocibus, regnum et diadema tutum  
deferens uni propriamque laurum,  
quisquis ingentes oculo irretorto  
spectat acervos.

IV

A Augusto

Quem virum aut heroa lyra, vel acri  
Tibia sumes celebrare, Clio?  
Quem Deum? cujus récinet jocosa  
Nomen imago,

Aut umbrosis Heliconis oris,  
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo?  
Unde vocalem témerè insequutæ  
    Orphea sylvæ,  
Arte materna rápidos morantem  
Flúminum lapsus, celeresque ventos  
Blandum et auritas fídibus canoris  
    Dúcere quercus.  
Quid priùs dicam solitis Parentis  
Laudibus, qui res hóminum ac deorum,  
Qui mare ac terras, variisque mundum  
    Tèmperat horis?  
Unde nil majus generatur ipso,  
Nec viget quidquam símile, aut secundum;  
Proximos ille tamen occupavit  
    Pallas honores,  
Præliis audax neque te silebo,  
Liber, et sævis inimica virgo  
Belluis: nec te, metuende certa  
    Phœbe, sagitta.  
Dicam et Alciden, puerosque Ledæ,  
Hunc equis, illum superare pugnīs  
Nóbilem: quorum simul alba nautis  
    Stella refulsit,  
Defluit saxis agitatus humor,  
Cóncidunt ventī, fugiuntque nubes,  
Et minax (sic di voluere) ponto  
    Unda recombīt.  
Rómulum post hos priùs, an quietum  
Pompili regnum mémorem, an superbos  
Tarquini fascēs, dúbīto, an Catonis  
    Nóbile lethum.  
Régulum, et Scauros, animæque magnæ  
Pródigum, Paulum superante Pœno,  
Gratus insigni réferam Camœna,  
    Fabriciumque

Hunc, et incomptis Curium capillis  
Utilem bello tulit, et Camillum  
Sæva paupertas, et avitus apto  
Cum Lare fundus.

Crescit occulto velut arbor ævo  
Fama Marcelli; micat inter omnes  
Julium sidus, velut inter ignes  
Luna minores.

Gentis humanæ pater, atque custos,  
Orte Saturno, tibi cura magni  
Cæsaris fatis dato, tu secundo  
Cæsare regnes.

Ille, seu Parthos Latio imminentes,  
Egerit justo dómitos triumpho,  
Sive subjectos Orientis oræ  
Seras et Indos

Te minor latum reger æquus orbem,  
Tu gravi curru quaties Olympum.  
Tu parúm castis inimica mittes  
Fúlmina lucis.

V

A Aristio Fusco

Integer vitæ, scelerisque purus,  
Non eget Mauris jáculis, nec arcu,  
Nec venenatis gravidà sagitis,  
Fusce, pharetra

Sive per Syrtes iter æstuosas,  
Sive facturus per inhospitalem  
Caucasum, vel quæ loca fabulosus  
Lambit Hydaspes.

Namque me silva lupus in Sabina,  
Dum meam canto Lalagen, et ultra  
Términum curis vagor expeditus,  
Fugit inermem.

Quale portentum neque militaris  
Daunia in latis alit æsculetis;  
Nec Jubæ tellus gènerat, leonum  
    Arida nutrix,  
Pone me, pigris ubi nulla campis  
Arbor æstiva recreatur aura,  
Quod latus mundi, nebulæ, malusque  
    Jupiter urget:  
Pone sub curru miniùm propinqui  
Solis, in terra dòmibus negata;  
Dulcè ridentem Lalagen amabo,  
    Dulce loquentem.

VI

A Apolo

Quid dedicatum poscit Apóllinem  
Vates? quid orat, de pátera novum  
    Fúndens liquorem? non opimas  
    Sardiniaë segetes feracis;  
Non æstuosæ grata Calabriaë  
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:  
    Non rura, quæ Liris quieta  
    Mordet aqua, taciturnus amnis.  
Premant Calena falce, quibus dedit  
Fortuna, vitem; dives, et aureis  
    Mercator exsiccet culullis  
    Vina Syra reparata merce,  
Dis carus ipsis: quippe ter et quater  
Anno revisens æquor Atlánticum  
    Impuné Me pascunt olivæ,  
    Me cichorea, levesque malvæ,  
Fruit paratis, et válido mihi,  
Latoë, dones, at (precor) integra  
    Cum mente; nec turpem senectam  
    Dégere, nec cithara carentem.

VII

A Licinio

Rectius vives, Licini, neque altum  
Semper urgendo, neque, dum procellas  
Cautus horrescis, nimium premendo  
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem  
Diligit, tutus caret obsoleti  
Sórdibus tecti, caret invidenda  
Sobrius aula.

Sæpius ventis agitur ingens  
Pinus; et celsæ graviore casu  
Décidunt turres; feriuntque summos  
Fúlmina montes

Sperat infestis, metuit secundis  
Alteram sortem bene preparatum  
Pectus: informes hiemes reducit  
Júpiter, idem

Summovet; non, si malè nunc, et olim  
Sic erit. Quondam cíthara tacentem  
Sùscitat Musam, neque semper arcum  
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus, atque  
Fortis appare. Sapienter idem  
Contrahes vento nimium secundo  
Túrgida vela.

VIII

A Póstumo

Eheu! fugaces, Posthume, Posthume,  
Labuntur anni: nec pietas moram  
Rugis, et instanti senectæ  
Afferet, indomitæque morti.  
Non si trecenis, quotquot eunt dies,

Amice, places illocrymabilem  
Plutona tauris: qui ter amplum  
Geryonem, Tityonque tristi  
Compescit unda, sicilicet omnibus,  
Quicumque terræ múnere vèscimur,  
Enaviganda, sive reges,  
Sive inopes èrimus coloni.  
Frustra cruento Marte carébitus,  
Fractisque rauci flúctibus Adriæ;  
Frustra per autumnos nocentem  
Corpóribus metuemus Austrum,  
Visendus ater flúmine lánguido  
Cocytus errans, et Danaï genus  
Infame, damnatusque longi  
Sissyphus Æolides laboris.  
Linquenda tellus, et domus, et placens  
Uxor, neque harum, quas colis árborum  
Te præter invissas cupressos,  
Ulla brevem dóminum sequetur.  
Absumet hæres Cæcuba dignior  
Servata centum clávis, et mero  
Tinget pavementum superbum  
Pontificum potiore cœnis.

IX

A Mæcenas

Non usitata, nec tenui ferar  
Penna, biformis per líquidum æthera  
Vates; neque in terris morabor  
Longiùs; invidiaque major  
Urbes relinquam. Non ego páuperum  
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,  
Dilecte Mæcenas, obibo,  
Nec Stygià cohibebor unda;



Jam, jam résidunt crúribus asperæ  
Pelles, et album mutor in álitem  
Superna, nascunturve leves  
Per digitos, humerosque plumæ.  
Jam Dædáleo ocior Icaro,  
Visam gementis litora Bosphori,  
Syrtesque Gætulas canorus  
Ales, Hyperboreosque campos.  
Me Colchus, et, qui dissimulat metum  
Marsæ cohortis, Dacus, et últimi  
Noscent Geloni: me peritus  
Discet Iber, Rhodanique potor.  
Absiet inani fúnere næniæ,  
Luctusque turpes, et querimoníæ;  
Compesce clamorem, ac sepulcri  
Mitte supervacuos honores.

X

A un varón honesto

Justum, et tenacem propositivi virum  
Non civium ardor prava jubentium,  
Non vultus instantis tyranni  
Mente quatit sólida; neque Auster,  
Dux inquieti túrbidus Adriæ,  
Nec fulminantis magna Jovis manus;  
Si fractus illabatur orbis,  
Impávidum ferient ruinæ.  
Hac arto Pollux, et vagus Hércules  
Innixus, arces attigis igneas:  
Quos inter Augustus recumbens  
Purpureo bibet ore nectar.  
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ  
Vexere tigres, indócili jugum  
Collo trahentes: hac Quirinus  
Martis equis Acheronta fugit,

Gratum eloquuta consiliantibus  
Junone divis: Ilion, Ilion,  
    Fatalis incestusque iudex,  
        Et mulier peregrina vertit  
In pulverem, ex quo destituit Deos  
Mercede pacta Laomedon, mihi  
    Castæque damnatum Minervæ  
        Cum pópulo et duce fraudulentò.  
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ  
Famosus hospes, nec Priami domus  
    Perjura pugnaces Achivos  
        Hectoreis ópibus refringit:  
Nostrisque ductum seditiónibus  
Bellum resedit. Prótinus et graves  
    Iras, et invisum nepotem,  
        Troica quem péperit sacerdos,  
Marti redonabo. Illum ego lúcidas  
Inire sedes, dúcere néctaris  
    Succos, et adscribi quietis  
        Ordinibus patiar Deorum.  
Dum longus inter sæviat Ilion  
Romamque pontus; qualibet éxules  
    In parte regnanto beati.  
        Dum Priami, Paridisque busto  
Insultet armentum, et catulos feræ  
Celent inultæ; stet Capitolium  
    Fulgens, triumphatisque possit  
        Roma ferox dare jura Medis.  
Horrenda latè nomen in últimas  
Extendat oras; quà medius liquor  
    Secernit Europen ab Afro,  
        Quà tímídis rigat arva Nilus:  
Aurum irrepertum, et sic meliùs situm  
Cùm terra celat, spernere fortior,  
    Quàm cogere humanos in usus,  
        Omne sacrum rapiente dextra.

Quicumque mundi términus obstitit,  
Hunc tangat armis; visere gestiens,  
Qua parte debacchentur ignes,  
Qua nebulæ, pluviique rores.  
Sed bellicosus fata Quiritibus  
Hac lege dico: *ne nimiúm pii,*  
*Rebusque fidentes avitæ*  
*Tecta velint reparare Trojæ,*  
*Trojæ renascens álite lúgubri*  
*Fortuna tristi clade iterábitur,*  
*Ducente victrices catervas*  
*Conjuge me Jovis et sorore.*  
*Ter si resurgat murus aheneus*  
*Auctore Phæbo, ter pereat meis*  
*Excisus Argivis; ter uxor*  
*Capta virum puerosque ploret.*  
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ;  
Quó Musa tendis? désine pérvicax  
Referre sermones deorum, et  
Magna modis tenuare parvis.

XI

A Julio Antonio

Píndarum quisquis studet æmulari,  
Jule, ceratis ope Dældalea  
Nítitur pennis, vitreo daturus  
Nómina ponto  
Monte decurrens velut amnis, imbres  
Quem super notas aluere ripas,  
Fervet, immensusque ruit profundo  
Píndarus ore:  
Laurea donandus Apollinari,  
Seu per audaces nova díthyrambos  
Verba devolvit, numerisque fertur  
Lege solutis;

Seu Deos, regesve canit, Deorum  
Sanguinem, per quos cecidere justa  
Morte Centauri, cecidit tremendæ  
    Flamma Chimeræ  
Sive, quos Elea domum reducit  
Palma cælestes, pugilemve, equumve  
Dicit, et centum potiore signis  
    Múnere donat:  
Flébili sponsæ juvenemve raptum  
Plorat, et vires, animumque, moresque  
Aureos educit in astra, nigroque  
    Invidet Orco  
Multa Dircæum levat aura cygnum,  
Tendit, Antoni, quoties in altos  
Nubium tractus; ego apis Matinæ  
    More modoque,  
Grata carpentis thyma per laborem  
Plúrimum circa nemus, uvidique  
Tiburis ripas, operosa parvus  
    Cármina fingo.  
Cóncines majore poeta plectro  
Cæsarem, quandoque trahet feroces  
Per sacrum clivum' merita decorus  
    Fronde, Sicambros;  
Quo nihil majus meliusve terris  
Fata donavere, bonique divi,  
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum  
    Témpora priscum.  
Cóncines lætosque dies, et Urbis  
Pùbicum ludum super impetrato  
Fortis Augusti rèditu, forumque  
    Litibus orbum.  
Tum meæ (si quid loquar audiendum).  
Vocis accedet bona pars; et o Sol  
Pulcher, o laudande, canam recepto  
    Cæsare felix

Tuque dum procedit, *lo triumphæ*,  
Non semel dicemus, *lo triumphæ*,  
Civitas omnis; dabimusque Divis  
Thura benignis.

Te decem tauri, totídemque vaccæ,  
Me tener solvet vitulus, relicta  
Matre, qui largis juvenescit herbis  
In mea vota:

Fronte curvatos imitatus ignes  
Tertium Lunæ referentis ortum,  
Qua notam duxit, niveus videri,  
Cætera fulvus.

## XII

### Carmen Seculare

Phœbe, sylvarumque potens Diana,  
Lúcidum cœli decus, ¡ó colendi  
Semper, et culti! date, quæ precamur  
Témpore sacro;

Quo Sibyllini monuere versus.  
Vírines lectas, puerosque castos  
Dis, quibus septem placuere colles,  
Dícere carmen.

Alme Sol, curru nítido diem qui  
Promis et celas, aliusque et idem  
Násceris, possis nihil urbe Roma  
Visere majus.

Ritè maturos aperire partus,  
Lenis Ilithya, tuere matres;  
Sive tu Lucina probas vocari,  
Seu Genitalis

Diva, producas sobolem, Patrumque  
Prosperes decreta super jugandis  
Fœminis, prodisque novæ feraci  
Legé marita.

Certus undenos decies per annos  
Orbis et cantus, referatque ludos;  
Ter die claro, totiesque grata  
    Nocte frequentes.

Vosque, veraces cecinisse Parcæ,  
Quod semel dictum est, stabilisque rerum  
Términus servet, bona jam peractis  
    Júngite fata.

Fértilis frugum pecorisque tellus  
Spicea donet Cererem corona:  
Nutriant fœtus et aquæ salubres,  
    El Jovis auræ  
Cóndito mitis, placidusque telo,  
Súpplices audi pueros, Apollo,  
Siderum regina bicornis audi,  
    Luna, puellas:

Roma si vestrum est opus, Iliæque  
Litus Etruscum tenuere turmæ,  
Jussa pars mutare lares, et urbem  
    Sóspite cursu:

Cui per ardentem sine fraude trojam  
Custus Æneas, patriæ superstes,  
Liberum munivit iter, daturus  
    Plura relictis.

Di, probos mores docili juventæ,  
Di, senectuti plácidæ quietem,  
Romulæ genti date remque, prolemque,  
    Et decus omne

Quique vos bobus veneratur albis  
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,  
Imperet bellante prior, jacentem  
    Lenis in hostem.

Jam mari terraque manus potentes  
Medus, Albanasque timet secures:  
Jam Scythæ responsa petunt, superbi  
    Nuper et Indi:

Jam fides, et pax, et honor, pudorque  
Priscus, et neglecta redire virtus  
Audet; apparetque beata pleno  
Copia cornu.

Augur et fulgente decorus arcu  
Plœbus, acceptusque novem Camœnis,  
Qui salutari levat arte fessos

Córporis artus;

Si Palatinas videt æquus arces,  
Remque Romanam, Latiumque felix.  
Alterum in lustrum, meliusque semper

Prorogat ævum,

Quæque Aventinum tenet, Algidumque,  
Quidecim Diana preces virorum  
Curet, et votis puerorum amicas

Applicat aures

Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos,  
Spem bonam certamque domum reporta  
Doctus et Pœbi chorus, et Dianæ

Dícere laudes.

### XIII

A Valgio

Non semper imbres nubibus hispidos  
Manant in agros, aut mare Caspium  
Vexant inequales procellæ

Usque; nec Armeniis in oris,

Amice Valgi, stat glacies iners  
Menses per omnes; aut Aquilonibus  
Querceta Gargani laborant,

Et foliis viduantur orni.

Tu semper urges flebilibus modis  
Mysten ademtum; nec tibi Vespero  
Surgente decedunt amores,

Nec rapidum fugiente solem.

At non ter ævo functus amabilem  
Ploravit omnes Antilochum senex  
Annos, nec impubem parentes  
Troilon, aut Phrygiæ sorores  
Flevere semper. Desine mollium  
Tandem querelarum; et potiùs nova  
Cantemus Augusti tropæa  
Cæsaris; et rigidum Niphaten,  
Medumque flumen gentibus additum  
Victis, minores volvere vortices,  
Intraque præscriptum Gelonos  
Exiguus equitare campis.

XIV

A Grosfo

Otium Divos rogat in patenti  
Prensus Ægæo, simul atra nubes  
Condidit lunam, neque certa fulgent  
Sidera nautis.  
Otium bello furiosa Thrace;  
Otium Medi pharetra decori,  
Grospe, non gemmis, neque purpura  
Venale nec auro  
Non enim Gazæ, neque consularis  
Summovet lictor miseros tumultus  
Mentis, et curas, laqueata circùm  
Tecta volantes.  
Vivitur parvo bene, cui paternum  
Splendet in mensa tenui salinum;  
Nec leves somnos timor aut cupido  
Sordidus aufert.  
Quid brevi fortes jaculamur ævo  
Multa? qui terras alio calentes  
Sole mutamus? patriæ quis exul  
Se quoquè fugit?



Scandit æratas vitiosa naves  
Cura; nec turmas equitum relinquit,  
Ocior Euro.

Lætus in præsens animus, quod ultra est  
Oderit curare, et amara læto  
Temperet risu: nihil est ab omni  
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achilem;  
Longa Tithonum minuit senectus;  
Et mihi forsan, tibi quod negarit,  
Porriget hora.

Te greges centum, Siculæque circum  
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum  
Apta quadrigis equa; te bis Afro  
Murice tinctæ

Vestiunt lanam: mihi parva rura, et  
Spiritus Graiæ tenuem Camenæ  
Parca non mendax dedit, et malignum  
Spernere vulgus.

---



# INDICE

---

	Páginas
Prólogo . . . . .	3
Compendio de Historia Sagrada, por Lhomond. . . . .	5
Proverbios de Salomón . . . . .	17
Compendio de la Historia de Roma, por Eutropio. . . . .	21
Biografías por Cornelio Nepote: Milciades . . . . .	31
M. Porcio Catón . . . . .	38
Sexto Aurelio Víctor. . . . .	40
Cartas familiares de Cicerón . . . . .	47
Extractos de la Guerra Catilinaria, escrita por el historiador Cayo Crespo Salustio . . . . .	54
Extracto de los comentarios de Cayo Julio César sobre la guerra civil. . . . .	59
Discurso de M. Tulio Cicerón contra Catilina . . . . .	67
Extracto de la historia de Tito Livio . . . . .	72
Extractos de la historia de Alejandro Magno, por Quinto Curcio Rufo. . . . .	77
Fábulas de Pedro. . . . .	83
Cayo Valerio Catulo. . . . .	91
Marco Valerio Marcial . . . . .	95
Albio Tibulo . . . . .	98
Publio Ovidio Nasón. . . . .	101
Publio Virgilio Marón . . . . .	109
Quinto Horacio Flaco . . . . .	120

---

BIBLIOTECA  
DEL  
INSTITUTO PROVINCIAL  
SORIA



PRECIO DE ESTA OBRA  
DIEZ PESETAS EN RUSTICA

---

---

OBRAS DEL MISMO AUTOR

---

<i>Gramática de la lengua Castellana.</i> . . .	5 ptas.
<i>Colección selecta de composiciones en prosa y verso de autores españoles. (Obra destinada a servir de texto para los ejercicios de análisis y lectura en la asignatura de lengua Castellana.)</i> . . .	5 »
<i>Elementos de Retórica y Poética.</i> (Obra informada favorablemente por el Conse- jo de Instrucción pública). . . . .	5 »
<i>Compendio de Geografía descriptiva par- ticular de España.</i> . . . . .	15 »
<i>Compendio de Historia de España.</i> . . .	15 »
<i>Resumen de Geografía descriptiva par- ticular de España.</i> . . . . .	4'25 »
<i>Gramática elemental de la lengua Latina y Castellana.</i> . . . . .	10 »
<i>Discursos en elogio a Jovellanos</i> . . . . .	1 »

---

---

5 52 25 25

E. CAZE

---

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

CO

D-2  
3222